Quos auctores Latinos et sacrorum Bibliorum locos Theodulus imitatus esse videatur.

Locos, e quibus argumenta erueret, perscrutatus est prof. Dr. Joannes Östernacher.

Additae sunt schedae codicum ι et υ arte zincographica expressae.

Liber separatim typis expressus ex „programmate Collegii Petrini“.

Urfahr prope Lentiam MDCCCCVII.

Praemittenda.

Quod lustro abhinc promiseram me praestiturum, edito hoc opusculo quamvis muneris officiis obstrictus et imbecilla tardatus valetudine ex parte censeo me perfecisse.

Quisquis perlegerit huius libelli ambitum, concedat necesse erit Theodulum in Latinis litteris seu antiquitatis seu medii aevi, seu sacris seu profanis, cum solutae tum devinctae orationis, bene fuisse versatum atque exercitatum; quamquam non ausim affirmare eum novisse omnes locos, quos attuli: ex suo quisque ingenio disceptet, quid Theoduli doctrinae iudicet tribuendum, quid casu existimet irrepsisse.

Denique animi memoris impetum secutus omnibus viris illustribus, qui mihi ad conficiendum hunc librum operam suam commodaverunt, praeter ceteros Dr. Joanni Zöchbaur, directori gymnasii Petrini, Dr. Joanni Jlg, collegae meo, bibliothecarum praesidibus Vindobonensibus, Monacensibus, Pragensibus, Linciensibus gratias ago quam maximas.

Scripsi in civitate Urfahr prope Lentiam Idibus Maiis MDCCCCVII.

Dr. Joannes Osternacher,
litterarum antiquarum
in Collegio Petrino professor.

Commentatio:

Theoduli eiusque exemplorum loci iuxta compositi.

═══ o ═══

Theoduli ecloga.

Aethiopum terras iam fervida torruit aestas,
In Cancro solis dum volvitur aureus axis;
Compuleratque suas tiliae sub amoena capellas

Venantii Fortunati „Carm.“ I. 21, 11—12:
„*Torrida praesertim cum terris incubat aestas*
Ac sitiente solo tristis anhelat ager . . .“
et versum 29: „. . . *sub tempore Cancri.*“
Ennodi „Carm.“ I. 1, 1–3 (Hartl p. 507):
„Celsior *astrigerum* Titan conscenderat *axem*,
Lampade cum plena totus in orbe paret,
Flammiger *ardenti sorbebat* flumina *Cancro.*“
Vergilii „Georgicon“ IV. 425 ss.:
„*Jam* rapidus *torrens* sitientis *Sirius Indos*
Ardebat coelo et medium *Sol igneus* orbem
Hauserat; *arebant* herbae et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant: . . . .“ Cf. ibidem 401 ss.; cf. eiusdem „Bucolicon“ X. 67 s.:
„Nec si, cum moriens *alta* liber *aret in ulmo,*
Aethiopum versemus ovis *sub sidere Cancri.*“
Cf. eiusdem „Culicis“ 42 ss.:
„*Igneus* aetherias iam *Sol* penetrarat in arces,
Candidaque *aurato* quatiebat lumina *curru*, . . .
. . . *Propulit a stabulis* ad pabula laeta *capellas*
Pastor . . .“

Claudiani „Carm.“ XVII. 196: „ . . *Aethiopum* . . *aestus*“. [Cf. Gruppe, „Griech. Myth.“ I. 388.]; Godescalci „Carm.“ VII. 18. (Monumentorum Germaniae Historicorum Poetae Latini Aevi Carolini, (edd. Duemmler-Traube), quos intellegas quaeso, quoties signa „P. L.“ apparebunt: III. 733): „ . . *sub sidere Cancri*“; Ovidii „Metamorph.“ X. 126 s.: „ . . aestus . . Cancri.“ — Vergilii „Culicis“ 104: „*Et iam compellente vagae pastore capellae* . . .“

Walahfridi Strabi „De imagine Tetrici“ 107 („P. L.“ II. p. 373): „. . paradysi *ad amoena.*“

Natus ab Athenis pastor cognomine Pseustis;
Pellis pantherae corpus cui texit utrimque
Discolor et rigidas perflavit fistula buccas
Emittens sonitum per mille foramina vocum.
Ad fontem iuxta pascebat oves Alithia,
Virgo decora nimis David de semine regis,
Cuius habens citharam fluvii percussit ad undam.
Substiterat fluvius tanta dulcedine captus
Auscultando quasi modulantis carmina plectri
Ipseque balantum grex obliviscitur esum.
Non tulerat Pseustis, sed motus felle doloris
Litoris alterius proclamat ab aggere tutus:
„Cur, Alithia, canis rebus stultissima mutis?
Si iuvat, ut vincas, mecum certare potestas:
Fistula nostra tuum cedet, si vincis, in usum;
Victa dabis citharam; legem coeamus in aequam."

Sedulii „Carm. pasch." I. 40 ss.:

„. . . . . quos *vanis dedita curis*
Attica Cecropii serpit doctrina veneni . .
Legis Athenaei paedorem linquite pagi."

Pellis pantherae significare videtur animum subdolum;

Cf. „Gesta Apollonii" 560 s. de lynce: „. . . *variae maculoso tergore notae*".

Sedulii „Carm. pasch." I. 23 ss.:

„Cur ego, *Daviticis* adsuetus *cantibus odas*
Cordarum resonare decem . . . . .
. . . . . taceam miracula Christi?"

Venantii Fortunati „Carm." II. 9, 19: „. . *Carmine Davitico*"; item VIII. 3, 3; VII, 8, 27; „. . *Davitico plectro*".

Alcuini „Carm." 13, 1–2; 26, 2; 38, 1; 45 totum („P. L." I. p. 237 ss.); in carmine 45 Carolus Magnus nomine David celebratur.

Sedulii praef. ad „Carmen pasch." 6:

„Aut si *magnarum caperis dulcedine* rerum."

Vergilii „Culicis" 126: „. . *nimia* . . *dulcedine captos*".

Prosperi „De ingratis" 1: „. . *felle* draconis".

Ad versus 16—19: simile pignus de vitula et poculo ponitur in Vergilii „Bucolicon" III. 28—44:

Damoetas: „Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? Ego hanc vitulam — ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus —
Depono: An dic, *mecum* quo pignore *certes*."

Menalcas: „De grege non ausim quicquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca,
Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
Verum, id quod multo tute ipse fatebere maius, —
Insanire libet quoniam tibi — pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis; . . ."

Illa refert: „Nec dicta movent nec praemia mulcent
Me tua nunc adeo, quia vulnere mordeor uno:
Quo res cumque cadit, testis nisi sedulus assit,
Si victus fueris, non me vicisse fateris.
Sed quia mutari nequit sententia coepti,
En adaquare gregem, simul et relevare calorem
Nostra venit Fronesis; sedeat pro iudice nobis."
Pseustis ad haec: „Video, quod eam sors obtulit ultro.
Huc ades, o Fronesi! nam sufficit hora diei,
Ut tua iam nostro postponas seria ludo".
Tum mater Fronesis: „Adaquato me grege quamvis
Accelerare domum iussisset uterque parentum
Nec dubitem poenas, si quicquam tardo, paratas,
Laeta feram talis praesumens gaudia litis.
Perge prior, Pseusti, quia masculus; illa sequaci
Aequabit studio. Sit tetras in ordine vestro,
Pitagorae numerus. Sol augeat, obsecro, tempus."

Cf. etiam „Bucolicon" II. 36 ss.:

„Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, . . ."
et Bucolicon V. 1 ss: „Cur non, Mopse, . . ."

Vergilii „Aeneidos" II. 709: „*Quo res cumque cadent* . ."; eadem „Aen." XII. 203, similia I. 610, VIII. 74; Martialis „Ep." II. 61, 6: „. . . nomen, *quod* tibi *cumque* datur"; Statii „Silvarum" II. 6, 67–68:

„. . . et *qua* tibi *cumque* beato
Larga redit Fortuna sinu; . . ."

Quomodo hic penes Fronesin, apud Vergilium „Bucol." III. 49 ss. litis arbitrium est penes Palaemona; cf. vss. 108—111.

Vergilii „Bucolicon" II. 44: „*Huc ades, o* formose puer: . .".

Cf. „Bucol." VII. 9; IX. 39, 43; Ovidii „Amor." I. 6, 54; Statii „Thebaid." I. 81; Prudentii „Contra Symmach." II. 404; Claudiani XXXI. 15; Dracontii „Medeae" 94: „. . *huc ades, o* lascive puer; . ."

Vergilii „Bucolicon" VII. 17:

„*Posthabui* tamen *illorum mea seria ludo.*"

Vergilii „Bucolicon" III. 58 s.:

„*Incipe,* Damoeta; tu deinde *sequere,* Menalca.
Alternis dicetis; amant *alterna Camenae.*"

„Gesta Apollonii" 10 ss. („P. L." II. p. 485):

„. . . nunc *ordine prior;*
. . . *sequitur* te deinde sodalis."

„P. L." III. p. 258 v. 43: „*Pythagoras matheseos studiosus*".

Pseustis.

Primus Cretaeis venit Saturnus ab oris
Aurea per cunctas disponens saecula terras;
Nullus ei genitor nec quisquam tempore maior;
Ipso gaudet avo superùm generosa propago.

Alithia.

Incola primus homo fuit in viridi paradiso,
Coniuge vipereum donec suadente venenum
Hausit eo cunctis miscendo pocula mortis:
Sentit adhuc proles, quod commisere parentes.

Vergilii „Georgicon“ II. 536 ss.:

„Ante etiam sceptrum Dictaei regis (= Jovis) et ante
Impia quam caesis gens est epulata invencis,
Aureus hanc vitam *in terris Saturnus* agebat; . . .“

Cf. „Bucolicon“ IV. 9.: *„. . gens aurea“*. Descriptio illius aetatis habetur in Ovidii „Metamorph.“ I. 89—112; XV. 96 ss.:

„At vetus illo *aetas*, cui fecimus *aurea* nomen — Fetibus . . .“

Cf. Juvenalis „Satur.“ VI. 1: „. . Saturno rege“; ibidem XIII. 38—41; Prudentii „Contra Symm.“ I. 42—58.

Ovidii „Heroid.“ VI. 23 s.: „. . Nuper *ab Haemoniis . . . . oris — Venerat*, . . .“; cf. „Metamorph.“ IX. 254, XV. 9; Walahfridi Strabi „Carm. de imagine Tetrici“ v. 30:

„Tetricus *Italicis* quondam *regnator in oris*“; cf. eiusdem poetae carm. LI. v. 20: „. . superis laetetur *in oris*“.

Vergilii „Aeneidos“ VII. 219 s.:

„Ab Jove principium generis, *Jove Dardana pubes*
Gaudet avo, rex ipse Jovis de gente suprema.“

Argumentum verss. 41—44 vide in „Geneseos“ cp. 2 s.; cf. Dracontii „Laud. Dei“ II. 235:

„Olim *primus homo* transscendit iussa Tonantis“; ibidem I. 461:
„Pectore vipereo mellitum in ore venenum“.

S. Prosperi Aquitani „De ingratis“ 934: „. . *viperei calicis* gustum procul excutiamus“; — Venantii Fortunati „Carm.“ II. 3, 8: „. . Quodque ferus *serpens* infecit felle *veneni*; eiusdem „Carm.“ IX. 2, 3 s.:

„Cum suadens coluber proiecit ab ore venenum,
Morsu et serpentis mors fuit Eva nocens.“

„Vitae s. Galli c.“ v. 21 ss.:

„. . . Sed quae male *depulit* Adam
Sedibus antiquis, nativo infecta veneno,
Femina praeclaros *pellit de sede* colonos“; eiusdem carminis v. 493 ss.:

„Humani generis deceptor, lubricus *anguis*,
Oppilato fores, per quas *inimica venena*
Prima tulit mulier, quae assensum praebet iniquo
Suasori, cum qua cecidit generosa propago.“

Pseustis.

Splendorem tanti non passus Juppiter auri
Expulit illatis patrem crudeliter armis;
Decolor argento mundi successit imago
Et iam primatum dedit illi curia divum.

Alithia.

Exulat eiectus de sede pia protoplastus
Ac cinis in cinerem naturae mutat honorem.
Ne tamen aeterni temeremur stipite pomi,
Flammens ante fores vetat ensis adire volentes.

Similia leguntur in libris hisce: Cypriani „Heptatenchos“, „Geneseos“ 105: „vipereis venenis“. Claudii Marii Victoris „*Alethias*“ (!) I. 419: „vipereo veneno“; Alcimi Aviti „Carm.“ II. 166: „ . . mortiferum . . venenum“; cf. ibid. v. 220; Sedulii „Carm. pasch.“ I. 72.

Ovidii „Metamorph.“ I. 113 ss.:

„*Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso*
Sub Jove mundus erat, subiit argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior aere.“

Eiusdem „Fastorum“ I. 235 s.:

„Hac (= Latina) ego *Saturnum* memini tellure receptum:
Caelitibus regnis a Jove pulsus erat“; cf. eiusdem operis III. 796: „*Saturnus* regnis *a Jove pulsus* erat“; cf. ibidem IV. 197 ss.; V. 33 ss.

Vergilii „Aeneidos“ VIII. 319 ss. simillima:

„*Primus* ab aetherio venit *Saturnus* Olympo
Arma Jovis fugiens et regnis exsul ademptis.
. . . *Aurea,* quae perhibent, *illo sub rege fuere*
Saecula; sic placida populos in pace regebat,
Deterior donec paulatim *ac decolor aetas*
Et belli rabies et amor *successit* habendi.“ Cf. denique Juvenalis „Satur.“ XIII. 38—41.

Argumentum versuum 49—52 invenies in „Geneseos“ cp. 3.

Prudentii „Cathemerinon“ III. 121—2:

„Conscia culpa Deum pavitans
Sede pia procul *exigitur.*“

Alcimi Aviti poëm. III. 195—6:

„Sic pater *exactos* haedorum pellibus ambos
Induit et *sancta paradisi ab sede reiecit.*“

Venantii Fortunati „Carm.“ II. 2, 4–5:

De *parentis protoplasti fraude* factor condolens,
Quando pomi noxialis *morte* morsu corruit . . .“;

eiusdem „Vitae s. Martini“ III. 375—6:

„Ecce Adam, quondam *paradisi sede repulsus,*
Exul ab elysio pascit gregis ora suelli.“

„*Sede pia*“: cf. Verg. „Culicis“ vss. 39 et 375.

„Protoplastus“: cf. Commodiani „Instructionum“ I. 35, 1; II. 17, 4; 22, 2; Alcimi Aviti „Poemat.“ II. 35, III 333; Aldhelmi, „de octo principum vitis“ (Migne 281 D); Hrabani Mauri „de fide catholica rhythmus“ 34, 2; „*primoplasti* ex germine“ in Prudentii „Cathem.“ IX. 17.

Pseustis.

Egregio Cecropi debetur causa litandi:
Ille bovis primo rimatus viscera ferro
Sacra Jovi statuit, quae posteritas celebravit;
Condidit Athenas; adiuvit nomine Pallas.

Alithia.

Immolat ante Deum Cain de semine frugum;
Frater Abel iustus dedit acceptabile munus
Sponte ferens agnum; (— talis decet hostia Christum —);
Ense cadit fratris; loquitur post funera mortis.

Pseustis.

Licaon Arcas caelestes provocat iras,
Quando suas aedes invasit Juppiter hospes,
Fallere temptando numen Jovis; exuit ergo
Corpus et os hominis; saevit lupus asper in arvis.

Vergilii „Bucol.“ II. 61—62: „ . . . *Pallas,* quas *condidit* arces — Ipsa colat; . . .“ eiusdem „Aeneidos“ VI. 597 ss. (de Tityo): „ . . . rostroque immanis voltur obunco — Immortale iecur tondens fecundaque poenis — *Viscera rimaturque* epulis . . .“

Ad vss. 57—60: Cf. „Geneseos“ cp. 4, 1–15; (etiam Sap. 10, 3; Hebr. 11, 14; „Fide plurimam *hostiam Abel,* quam *Cain, obtulit Deo,* per quam testimonium consecutus est esse *iustus,* testimonium perhibente *muneribus* eius Deo, et per illam *defunctus* adhuc *loquitur.*“ I. Joann. 3, 12.) Alcimi Aviti „Poematum“ lb. VI. 27—32:

„Sic quondam, cum prima novo splendesceret ortu
Terra nitens pulchrasque darent sua *semina fruges,*
Viventem ducens ad sancta altaria fetum
Innocuis sonuisse *deo* balatibus *agnum*
Insinuante fide *iustus* cognoverat *Abel*
Et capite oblato *placuit* grex totus ab uno.“

„Funera mortis“: Cf. Aldhelmi »De laudibus virginum« (Migne 263 D): „ . . . gelidae *post funera mortis.*“ „Gest. Apollonii v. 131: „cupiebat *funera mortis*“; exemplaria antiqua huius pleonasmi iam exstabant: Lucreti Cari „De rerum natura“ VI. 1199: „*funera leti*“; Vergilii „Aeneidos“ IV. 308: „Nec *moritura* tenet crudeli *funere* Dido?“, Bonifatii „Aenigmat.“ 303: „*Tartara mortis.*“

Lycaonis scelus ac mutatam formam enarrant Ovidii „Metamorph.“ I. 165—243: ex his 166: „dignas *Jove* concipit *iras*“; 218—9: „. . *Arcadis* . . sedes et *inhospita* tecta tyranni *ingredior,* . . ;“

Alithia.

Enoc, iustitiae polluto cultor in orbe,
Raptus de terra nulli comparuit ultra,
Iudicis adventum fidens athleta secundum;
Leviathan contra socio praecedet Helia.

Pseustis.

Venit ab Oceano submergens cuncta vorago;
Tellus cessit aquae, periit quod vixerat omne:
Deucalion homines, praeter quem nemo superstes,
Cum Pirra iactis renovavit coniuge saxis.

De **Henoch** cf. „Geneseos" 5, 18–24; etiam Eccli. 44, 16, Heb. 11, 5; Genes. 5, 24: „*Ambulavitque cum Deo et non apparuit,* quia *tulit eum Deus.*" De Elia propheta cf. III. Reg. cp. 17. et IV. Reg. cp. 1—2; Math. 17, 3; Luc. 9, 30. = De utroque sancto canit Alcimus Avitus in „Poem." IV. 172—183; ex his 178—180:

„. . . Denique quo priscus quondam conscenderat *Enoch,*
Helias curru post tempora longa secutus
Scribitur ignitis scandens penetrasse quadrigis."

Similia exhibet Aldhelmi carmen (Migne 245):

„*Eliam* colit, ut superis in sedibus *Henoch,*
Quem *rapuit* quondam divina potentia coeli;
Idcirco *simul ad belli certamina cruda*
Contra antechristum gestant vexilla Tonantis."

„Dialogus Agii" („P. L." III. 377) v. 235:

„. . *Enoch, Helia socio,* nunc usque *superstes,*
Affore praevaluit: mortuus occubuit."

Alcimi Aviti „Poem." III. 45: „*iudicis adventu*". In „vitae s. Galli" versu 184 eadem: „*Judicis adventu* districti terribilisque".

Venantii Fortunati „Vit. s. Martini" I. 114: „. *fideique fidelis athleta*"; idem vocabulum in „vitae s. Galli" versibus 514 et 1380; cf. Bonifatii „aenigm." 243—4;

„*Athletis Orci dicor,* dulcissima virgo,
Caelicolae e contra vocitant me pessima belua".

Leviathan (Job 3, 8; 40, 20; Js. 27, 1) a Theodulo ponitur pro *antichristo,* qui in Commodiani „Carmine Apolog." 833—850 (— 890) accuratius describitur, sed Neronis nomine nuncupatur.

Idem argumentum, quod versus 69—72, continent fusius expositum Ovidii „Metamorph." I. 259—415; e quibus afferam I. 393—4:

„Magna parens terra est; *lapides* in corpore terrae
Ossa reor dici: *iacere* hos post terga iubemur".

et I. 324—326:

„Juppiter ut liquidis stagnare paludibus orbem
Et *superesse virum* de tot modo milibus *unum*
Et superesse videt de tot modo milibus *unam* . ." ;

Vergilii „Georgicon" I. 62—63:

„Deucalion vacuum *lapides iactavit* in orbem;
Unde *homines* nati, durum genus; . . ."

Cf. eiusdem „Bucolicon" VI. 41: „Hinc *lapides Pyrrhae iactos* . ."

Alithia.

Ultio digna Dei fontes disrupit abissi
Octavum Noë servans in partibus arcae.
Amodo ne talem patiantur saecula cladem,
Visibus humanis per nubila panditur Iris.

Pseustis.

Idaeos lepores puer exagitat Ganimedes;
Quem Jovis arreptum devexit in aethera sursum
Armiger; ablato divum concesserat ordo
Nomen pincernae, quod possedit prius Hebe.

72—76: Huius strophae et duarum ex sacra historia sequentium (81—84, 89—92) exemplar fuisse videtur praeter „Geneseos" capita 6—9 [7, 11: „*rupti* sunt omnes *fontes abyssi* magnae"] Alcimi Aviti „Poem" lb. IV.: „de diluvio mundi"; ex quo afferam versus 651—2:

„. . . prisci cum tempore *Noë*
Conclusas lignis *animas* discriberet *octo*."

Clarius adhuc II. Petr. 2, 5: „ Et originali mundo non pepercit, sed *octavum Noë* iustitiae praeconen *custodivit*, diluvium mundo impiorum inducens".

Flori Lugdunensis c. IV. v. 45—46:

„Tu iustum quendam propria cum prole domoque
Diluvii ex undis *archa* vectrice *reservas*."

Sedulii „Carm. pasch." IV. 171: „*Visibus humanis* magicas tribuere figuras".

„Geneseos" 9, 13: „*Arcum* meum ponam *in nubibus* et erit signum foederis inter me et inter terram".

Vergilii „Aeneidos" V. 252—255:

„. . . *puer* frondosa regius *Ida*
Velocis *iaculo cervos cursuque fatigat*,
Acer, anhelanti similis; quem praepes *ab Ida*
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis." Cf. „Aeneidos" I. 28.

Cf. Horatii „Carm.". IV. 4, 1—4:

„Qualem *ministrum fulminis* alitem,
Cui rex deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Juppiter in Ganymede flavo . . ."; Ovidii „Metam." XI. 756: „*raptusque Jovi Ganymedes*".

Martialis „Epigramm" V. 55:

„Dic mihi, quem *portas, volucrum regina*? »Tonantem«.
Nulla manu quare fulmina gestat? »Amat.«
Quo calet igne deus? »Pueri.« Cur mitis aperto
Respicis ore *Jovem*? »De *Ganymede* loquor.«"

Alithia.

Corvum perfidiae dampnant animalia quaeque,
Nuntius inclusis quia noluit esse salutis;
Ore columba suo ramum viridantibus intro
Detulerat foliis; superest Armenia testis.

Pseustis.

Surrexere viri Terra genitrice creati:
Pellere caelicolas fuit omnibus una voluntas;

Cf. eiusdem „Epigramm." I. 6, 1–2:

„*Aetherias aquila* puerum portante *per auras*
Jnlaesum timidis unguibus haesit onus: . ."

Armigeri Jovis cognomine aquila saepissime nuncupatur: Verg. „Aen." IX. 564, Ovidii „Metam." XV. 386, Sili Italici „Punic." X. 108; XIII. 341; XVII. 53; Statii „Thebaidos" III. 531; Prudentii „Peristephanon" X. 234 ss.; Claudiani „De bello Gildonico" 467—8; Walahfridi Strabi „Carm." XIX. 5; Ermoldi Nigelli „In honorem Hludovici" I. 507.

De **corvo** non reverso cf. „Geneseos" 8, 6–7; de columba fideli ibid. 8, 8–9 et 8, 10–11; ultimo loco: „Exspectatis autem ultra septem diebus aliis rursum dimisit *columbam* ex arca. At illa venit ad eum ad vesperum *portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo* . . ."

Prudentii „ Dittochaeon" III. 9—10:

„*Nuntia diluvii* iam decrescentis *ad arcam*
Ore columba refert *ramum viridantis olivae.*"

Alcimi Aviti „Poëm." IV. 581 ss.:

(Columba) „. . . Paciferaeque videns *ramum viridantis olivae*
Decerpit mitique *refert ad* condita *rostro.*"

„P. L." III. 613, Milonis carm. II. v. 29—30:

„*Corvus* ego crocitans humili te voce saluto,
Perfidus ille Noë non qui pia claustra refugit, . .";

„Geneseos" 8, 4: „Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis *super montes Armeniae*". Cf. Grupp, „Kulturgeschichte der römischen Kaiserzeit" I. pg. 409[8]: „Ueberall waren die Juden verbreitet, in Apamea war nach ihrer Ansicht die Arche stehen geblieben und dieser Glaube bestimmte sogar die Heiden, die Arche auf öffentlichen Bildern anzubringen". Adn. 8: „Apamea erhielt den Namen Kibotos". Cf. Josephi „Antiqu. Jud." I. 3, 5;. Friedlaender, „Sitteng." II. p. 184.

Ovidii „Metamorph." I. 151 ss.:

„Neve foret terris securior arduus aether,
Affectasse ferunt regnum caeleste Gigantas
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum pater omnipotens (!) *misso* perfregit Olympum
Fulmine et *excussit subiecto Pelion Ossae.*
Obruta mole sua cum corpora dira iacerent
Perfusam multo *natorum sanguine Terram*
Immaduisse ferunt . . ." etc.;

Mons cumulat montem, sed totum Juppiter hostem
Fulmine deiectum Vulcani trusit in antrum.

Alithia.

Posteritas Adae summa Babilonis in arce
Turrim construxit, quae caelum tangere possit.
Excitat ira Deum: confusio fit labiorum;
Disperguntur ibi; nomen non excidit urbi.

---

cf. eiusdem „Amorum" II. 1, 11 ss.; „ex Ponto" IV. 8, 59–60;
Simillima exhib. Ovidii „Fastorum" III. 799 ss.:

„*Matre satus Terra*, monstrum mirabile, taurus
Parte sui serpens posteriore fuit . . ."

Eiusdem „Fastorum" V. 35—42:

„*Terra feros partus*, immania monstra, *Gigantas*
Edidit ausuros in Jovis ire domum.
[Mille manus illis dedit et pro cruribus ungues
Atque ait: ›*in magnos arma movete deos.*‹]
Exstruere hi montes ad sidera summa parabant
Et magnum bello sollicitare Jovem.
Fulmina de caeli *iaculatus Juppiter* (!) arce
Vertit in auctores pondera vasta suos."

Similia de Titanibus refert Propert. „Eleg." II. 1, 19–20.
Vergilii „Georgicon" I. 278—283:

„ . . . tum *partu Terra nefando*
Coeumque Japetumque *creat* saevumque Typhoea
Et coniuratos caelum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet et Ossae frondosum involvere Olympum;
Ter Pater (!) *exstructos disiecit fulmine montis.*"

Cf. eiusdem poetae „Aen." VI. 580—1:

„Hic *genus antiquum Terrae,* Titania pubes,
Fulmine deiecti fundo volvuntur in imo."

Similia leguntur in Claudiani „De bello Pollentino v. 61—76.

„Terra genetrice creati": De forma confer Aratoris „Carm." II. 140: „ . . . *lympha genitrice sati*"; II 543: „ . . . lympha matre renati."

Juppiter: omnibus fere in codicibus habetur Mulciber; ubique apud antiquos (Titanes atque) Gigantes ab Jove deiecti esse narrantur, non vero a Mulcibero (= Vulcano). Qua de causa ex versu 88 vocabulum „Mulciber" nomini Vulcani superscriptum in versum 87 irrepsisse censeo pro „Juppiter", quod exhibent codd. ϑ (!) et χ.

De **labiorum confusione** cf. „Geneseos" 11, 1–9; v. 4: . . „et dixerunt, faciamus nobis *civitatem* et *turrim,* cuius culmen *pertingat ad caelum;* . . ." v. 7: „ . . . descendamus et *confundamus* ibi *linguam* eorum; . . ." v. 9: „Et idcirco vocatum est nomen eius *Babel,* quia ibi *confusum est labium* universae terrae; et inde *dispersit eos Dominus* super faciem cunctarum regionum." Prudentii „Apotheoseos" 129: „*Babylonis ab arce*"; eiusdem „Contra Symmachum" II. 550: *Babylonis ad arcem.*" = Aratoris „De actibus apostolorum" I. 130—134:

Pseustis.

Fulmina Ciclopes Jovis imperio fabricantes
Paeone percusso morti decrevit Apollo;
Mox deitate sua superum spoliatus in ira
Admeti curam pecoris suscepit agendam.

Alithia.

Limite iussus Abram patrio discedere Sarram
Assumpsit sine spe sobolis sibi concipiendae.
Tandem confectis aetate creatur herilis
Filius et lactat, sua quam natura gravabat.

Pseustis.

Daedalus aptatis liquidum secat aëra pennis;
Filius insequitur; — fragilis sed cera liquatur; —
Et cadit in pelagus; gemuit sub pondere fluctus.
Ille sui compos brumales attigit Arctos.

„. . . *turrim* voluere maligni
In *coelum proferre suam,* quibus impia corda
Sermonum secuere modos, sociisque superbis
Affectus cum voce perit: *confusio linguae*
Consimili tunc gente fuit; . . .“

Ad v. 93—96 cf. Ovidii „Artis amatoriae II. 239—240:

„*Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheraei*
Fertur et in parva delituisse casa.“

Cf. Senecae „Herculis“ v. 451: „*Pastor Pheraeos Delius pavit greges.*“ Ovidii „Metamorph.“ I. 259: „*Tela* reponuntur *manibus fabricata Cyclopum.*“ Cf. eiusdem operis III. 305 ss.; Claudiani „de raptu Proserpinae“ II. 175: „. . . trepidus disiecit *fulmina Cyclops.*“

„Jovis imperio“: Vergilii „Aeneidos“ V. 726; V. 784; IX. 716.

„Morti decrevit“: cf. „Gesta Apollonii“ 188: „. . *dampnasset tristi* sub Tartara *morti.*“ Cf. Verg. „Aen.“ IV. 699.

De profectione **Abram** et ortu **Isaac** etc. cf. „Geneseos“ cpp. 12—20; Dracontii „Laud. Dei“ II. 624: „*Frigida progeniem senibus natura negabat.*“

Flori Lugdunensis c. IV. v. 55—56:

„Qui *patriae fines* et tristia regna relinquens
Crevit in ingentes *peregrino in limite* gentes.“

Claudii Marii Victoris „Alethias“ III. 348: „. . (. . Abram) . . . *digressus limite recto.*“ Cf. etiam Sedulii „Carm. pasch.“ I. 107—113.

Vergilii „Aeneidos“ VI. 14—33:

„*Daedalus,* ut fama est, fugiens Minoïa regna
Praepetibus pinnis ausus se credere caelo
Insuetum per iter *gelidas enavit ad Arctos*
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce . .“ etc.

Horatii „Carm.“ I. 3, 34—35:

Alithia.

Heredis forma non est motus patriarcha,
Quin mactaret eum, nisi vox emissa deorsum
Parcere iussisset; rapitur, qui cornibus haeret
In dumis, aries; sequitur patrem sua proles.

„. . . Expertus *vacuum Daedalus aëra*
Pennis non homini datis . . .“ Cf. eiusd. „Carm.“ II. 20, 1–2 (Daedalum respicit v. 13):

„Non usitata nec tenui *ferar*
Penna biformis *per liquidum aethera* . .“

Cf. eiusdem „Carm.“ IV. 2, 1–4:

„Pindarum quisquis studet aemulari,
Iulle, *ceratis* ope *Daedalea*
Nititur pennis, vitreo *daturus*
Nomina ponto.“

Ovidii „Epistul.“ XVII. 49 ss.:

„Nunc daret *audaces* utinam mihi *Daedalus alas,*
Icarium quamvis hinc prope litus abest!“ Cf. eiusdem „Artis amat.“ II. 21—97; „Tristium“ I. 1, 89–90; III. 4, 21–24; idem argum. videbis in Sili Italici „Punic.“ XII. 83—103. —

„Liquidum secat aëra pennis“: Verg. „Aeneid.“ VII. 74—65: „. . apes . . *liquidum* trans *aethera* vectae“; eiusd. carm. XI. 272; Ovidii „Metamorph.“ II. 532: „. . *liquidum* . . *aethera.*“ Statii „Theb.“ I. 294: „ . . *aëra per liquidum*“; Prudentii „Hamartig.“ 849: . . (anima) „. . celeri relegens *secat aëra* lapsu“; Alcimi Aviti „Poëm.“ IV. 283 (de archangelo Gabriel):

„Haec fatus *vacuum levibus secat aëra pinnis.*“
Cf. et eiusdem carminis IV. 565 (de corvo):
„Ales ut extensis *nitidum petit aëra pinnis.*“

„Cera liquatur“: cf Ovidii „Artis amat.“ II. 85:
„Vincla labant et *cera* deo (= Sole) propriore *liquescit.*“

„Brumales attigit Arctos“: cf. Ovidii „Metamorph.“ IV. 625: „. . *gelidas Arctos*“; „Tristium“ I. 2, 29: „Nunc sicca *gelidus boreas* bacchatur *ab arcto*“. Cf. Horatii „Carm.“ II, 15, 16; Sili Italici „Punic.“ XV. 227: „ . . *gelidas . . . ad Arctos*“; cf. XII. 88—103; Statii „Silv.“ III. 5, 19:
„. . si *gelidas* irem mansurus *ad Arctos.*“

De **Isaac immolando** cf. „Geneseos“ c. 22; cf. ibi v. 13: „Levavit Abraham oculos suos viditque post tergum *arietem inter vepres haerentem cornibus,* quem assumens obtulit holocaustum pro filio“. Cf. Sedulii „Carm. pasch.“ I. 114—120. Dracontii „Laud. Dei“ III. 96—112.

„. . **sequitur patrem** . .“: Cf. Verg. „Aen.“ II. 724; Ovidii „Metamorph.“ I. 643.

Pseustis.

Phillis amore gravi Demofontis capta superbi
Mutat flebiliter rigidum pro corpore suber;
Ille reversus eo truncum rigat ore supino;
Occurrit foliis, ceu senserit oscula, Phillis.

Alithia.

In cinerem Sodomas solvens divina potestas
Ob pactum patrui Loth parcere cogitat uni;
Servat eum Segor; sed perfida vertitur uxor
In salis effigiem; lambunt animalia cautem.

Pseustis.

Argolicas contra bellans acies Citharea
Tididae manibus grave pertulerat dea vulnus;

De **Phyllide** in amygdalam mutata et de Demophoonte perfido, postea vero poenitente cf., quae refert Ovidius in „Rem. amor.“ 591—606; „Heroidon“ II.; „Art. amat.“ II. 353—4; III. 37—38; 459—460; cf. Propertii III. 19, 28; prae ceteris autem Vergilii „Culicis“ v. 131 ss.:

„Posterius, cui *Demophoon aeterna reliquit*
Perfidia *lamenta*, doli male provida *Phyllis*,
— Perfide Demophoon et non deflende puellis! — . .“

Quomodo Phyllis in arborem mutata osculis poenitentis Demophontis occurrit, ita Daphne Phoebi oscula refugit. Cf. Ovidii „Metamorph.“ I. 554—6:

(Phoebus)

„Sentit adhuc trepidare novo *sub cortice* pectus,
Complexusque suis *ramos*, ut membra lacertis
Oscula dat ligno (= sc. lauri): *refugit tamen*
oscula lignum.“

De **Sodomis** et Gomorrha excisis cf. „Geneseos“ 13, 12—19, 26; Prudentii „Hamartigen.“ 738—776; Sedulii „Carm. pasch.“ I. 121—126.

„Perfida . . uxor“: cf. Statii „Thebaidos“ IV. 193: „perfida coniux“; Prudent. „Hamartig.“ 738: „. . levis . . uxor“; „Geneseos“ 19, 26: „Respiciens *uxor* eius post se *versa est in statuam salis*“. Cf. Evang. Lucae 17, 31—32.

Cypriani „Sodoma“ 119—120:

„In fragilem *mutata salem stetit ipsa* sepulcrum
Ipsa et imago, . .“; cf. Sedulii „Carm. pasch.“ I. 224—225: (Deus) „*muliebres transtulit artus.*“ —

„In simulacra salis.“ Claudii Marii Victoris „Alethias“ III. 758: „*In statuam conversa salis*“; Prudentii „Hamartigeneias“ 745: „. . *caute* sigillati longum *salis effigiata*“.

De uxore Loth cf. Flavii Josephi „Antiqu. Jud.“ I. 11, 4; etiam „S. Silviae peregr.“ c. 43.

De **Diomede** eiusque sociis cf., quae referunt Ovidii „Metamorph.“ XIV. 456—511.

Deplorant socii commissa ducis furiosi;
Nam facti volucres acuunt pro dentibus ungues.

Alithia.

Congressus Domino Jacob luctamine longo
Nervos amisit femoris, dum cedere nescit;
Quam plagam veluti gemat evenisse parenti,
Non comedit nervum successio tota nepotum.

Pseustis.

Ipolitus saeva perit accusante noverca
Discerptus bigis focas agitantibus undis.
Dampna pudicitiae non pertulit ira Dianae:
Ipolitum revocat; modo nomine Virbius extat.

De Venere a Diomede vulnerata cf. „Iliados“ V. 329 ss.

De luctamine **Jacob** patriarchae cf., „Geneseos“ 32, 22-32: „Cumque mature surrexisset, . . . mansit solus; et ecce *vir luctabatur cum eo* usque mane. Qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit *nervum femoris eius, et statim emarcuit.* Dixitque ad eum: „Dimitte me; iam enim ascendit aurora“. Respondit: „Non dimittam te, nisi benedixeris mihi“. Ait ergo: „Quod nomen est tibi?“ Respondit: „*Jacob*“. At ille: „Nequaquam“, inquit, „Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si *contra Deum* fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis“. . . . *Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel*, qui emarcuit in femore Jacob, usque in praesentem diem; eo quod tetigerit *nervum femoris eius* et obstupuerit“. Cf. Prudentii „Cathemerinon“ II. 73—88.

M. Claudi Victoris „Alethias“ II. 88—89:

„. . . purgetque patrum peccata *nepotum*
Mortibus aeternam faciens *successio* poenam.“

De fatis **Hippolyti** locus pulcherrimus legitur in Vergilii „Aeneide“ VII. 761—782:

„Ibat et *Hippolyti* proles (!) pulcherrima bello,
Virbius, insignem quem mater Aricia misit
. . . . pinguis ubi et placabilis ara *Dianae.*
Namque ferunt fama *Hippolytum*, postquam *arte novercae*
Occiderit patriasque expleverit sanguine poenas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Aetheria et superas caeli venisse sub auras
Paeoniis *revocatum* herbis et *amore Dianae*. . .
. . At Trivia (= Diana inferna) Hippolytum
secretis alma recondit
Sedibus et nymphae Egeriae nemorique relegat,
Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum
Exigeret *versoque* ubi *nomine Virbius esset.*

Alithia.

Venditus in servum Joseph livore suorum
Ardentis dominae dum spernit vota minasque,
Addictus vinclis discussit somnia regis
Et subduntur ei totius regna Canopi.

Unde etiam templo Triviae lucisque sacratis
Cornipides arcentur equi, quod *litore currum*
Et iuvenem monstris pavidi effudere marinis . . ."

Similia refert Ovidii „Metamorph." liber XV. v. 497—546; ex his 478: „*sceleratae fraude novercae*". 542 ss.: (Cynthia me)

Hic posuit, *nomenque* simul, quod possit equorum
Admonuisse, iubet deponere, „qui" que „fuisti
Hippolytus", dixit „nunc idem *Virbius* esto".

„*Virbium*" interpretabantur antiqui lepida magis quam recta quadam etymologia **„*virum bis vivum*"**.

Idem poeta in „Fastis" VI. 737—762; e quibus 745: „. . Reddideratque animam, *multum indignante Diana*".

Cf. eiusd. carminis III. 263—6; eiusd. poetae „Heroidon" IV; „Epistul" XX. 7—10; „Tristium" II. 383.

Prudentii „Contra Symmach." II. 53 ss.:

„Cur etiam templo *Triviae* (= Dianae) lucisque sacratis
Cornipedes arcentur *equi*, cum Musa *pudicum*
Raptarit iuvenem *volucri per littora curru.*"

Diversa est sententia Horatii „Carm." IV. 7, 25—26:

„Infernis neque enim tenebris *Diana pudicum*
Liberat *Hippolytum*; . . ."

De pudici **Joseph** venditione atque exaltione vide „Geneseos" cpp. 37—50; Alcimi Aviti „Poem." VI. 534 ss.:

„*Vendiderat* quondam invenem *manus aemula fratrum*
Et *famulum Joseph* tellus Memphitis habebat; . . .
Pertulit ille quidem *dominam*, cum crimine falso
Confictus voluisse nefas, quod triste refugit;
Sustinuit tolerans ergastula, *vincla*, catenas."

Aldhelmi „De octo princip. vitiis" (Migne 283 A):

„*Non* sic egregiam virtutis perdere palmam
Forma venustatis *valuit compellere Joseph*,
Qui *dominam sprevit nectentem retia luxus*
Et stuprum fugiens pepli velamina linquit;
Idcirco felix meruit Memphitica sceptra,
Quem totus celebrem terrarum praedicat orbis."

Cf. etiam Prudentii „Dittochaeon" VII. 25:

„*Venditus insidiis fratrum* puer; . ."

„Regna Canopi" per synecdochen dictum pro regno **Aegypti**: A Propertio „Eleg." IV. 10, 39 Cleopatra vocatur: „. . incesti meretrix *regina Canopi*".

Vergilii „Georgicon" IV. 287—8:

„Nam quae Pellaei gens *fortunata Canopi*
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum . . ."

Pseustis.

Graecorum primus vestigat grammata Cadmus,
Postquam sevit humi dentes septemplicis ydri;
Quos necdum fato mersit fortuna sinistro:
Ne patiatur idem, se sibilat esse draconem.

Ovidii „Metamorph." XV. 826 ss.:
„Romanique ducis *coniunx Aegyptia* taedae
Non bene fisa cadet; frustraque erit illa minata
Servitura *suo* Capitolia nostra *Canopo.*"

Statius „Silv." II. 7, 70—71: alloquitur Lucanum ita:
„Tu *Pelusiaci scelus Canopi*
Deflebis pius et Pharo cruenta
Pompeio dabis altius sepulcrum."

De luxu huius urbis vide Juvenalis „Satur" I. 26; VI. 84; XV. 44—46.

Magni Felicis Ennodi „Carm." I. 13, 20 ss.:
„Quod saevit atrox barbarum
Stridor *Canopus* murmuris."

Cf. Sidonii Apollinaris V. 478 s; IX. 274 (*„Pelusiaco* satus *Canopo"*);
Prudentii „Peristephanon" III. 59: *„regna Canopica";* ibidem X. 254 s.:
„ . . . deos Latinos et *deos Aegyptios,*
quis Roma libat, *quis Canopus supplicat."*

Eiusdem poetae „Contra Symmachum" II. 921 s.:
„Audio per Pharios Nilum decurrere campos
more suo *viridisque* sata stagnare *Canopi."*

Alcimi Aviti „Poem." V. 145:
„Aegypti spatium vel quo patet ampla *Canopus";*

cf. eiusdem poetae V. 320 ss.:
„ . . . divina manus nec funere tanto
Deceptam subita vacuasset caede *Canopum."*

Cf. Theoduli „eclogae" v. 137—140.

De **Cadmi** factis atque figura mutata cf. Ovidii „Metamorph." III. 1—130, IV. 563—604; e quibus 573: *„Vipereos sparsi per humum,* nova semina, *dentes";* cf. III. 103.

Statii „Thebaidos" II. 289 s.:
„ . . . *Cadmum* comitata *iacentem*
Harmonia versis *in sibila* dira querellis."

Claudiani „De consulatu Stilichonis" II. 318—324:
„Non ego delectu, Tyrii sed *vomere Cadmi*
Tam subitas acies conceptas *dente draconis*
Exsiluisse reor: Dircaeis qualis in arvis
Messis cum proprio mox bellatura colono
Cognatos strinxit gladios, *cum semine iacto*
Terrigenae galea matrem nascente ferirent,
Armiger et viridi floreret milite sulcus."

Alithia.

Raptus aquis Moyses magicas everterat artes;
Omnis eum regio timuit circumflua Nilo:
Eduxit cives, submersit fluctibus hostes;
Memphios exitium testatur adhuc mare rubrum.

Pseustis.

Summa Jovis calidas Europae forma medullas
Movit et in taurum deitatis vertit amictum:
Virgine stuprata non passus Agenoris arma
Nomen donat ei, quod habet pars tertia mundi.

Quomodo **Moyses** natus sit quibusque prodigiis populares ex Aegypto eduxerit, fusius narratur in libro „Exodi“ cpp. 1—15.

Alcimus Avitus („Poem.“ V. 81 ss.) refert simillima de Pharaone:

„Praecipit, ut quoscumque *magos* vel carmina doctos
Inlicitam diris temptantes fraudibus *artem*
Aegypti longinqua darent hostilia, cogens
Murmure funereo faciat monstrare magister.“

Cf. eiusdem poetae V. 694:

„ . . . princeps Memphitidis aulae.“
Et VI. 535: . . . „tellus Memphitis.“

De raptu **Europae** cf. Ovidii „Metamorph.“ II. 833—875; III. 1—9; e quibus II. 847—851:

„ . . . Sceptri gravitate relicta
Ille pater *rectorque deum,* cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri mixtusque iuvencis
Mugit et in teneris formosus obambulat herbis.“

Similia in eiusd. poetae „Fastis“ V. 605—618:

„Praebuit ut *taurus* Tyriae sua terga puellae (= Europae)
Juppiter et falsa cornua fronte tulit.
Illa iubam dextra, laeva retinebat *amictus* . . . .
. . . Litoribus tactis stabat sine cornibus ullis
Juppiter inque deum de bove *versus erat.*
Taurus init caelum; *te, Sidoni, Juppiter implet*
Parsque tuum terrae tertia nomen habet.“ *etc.*

Eiusdem „Heroidon“ IV. 55 s.:

„*Juppiter Europen* (prima est ea gentis origo)
Dilexit *tauro dissimulante deum.*“

Similia exhibent Statii „Thebaidos“ IX. 333—338, Drucontii „Medeae“ 314—316, imprimis autem poetae eiusdem „Helenae“ 557—562:

„ . . . . sic terga iuvenci
Europam rapuere dei; cum *Juppiter* ipse
Taurus Olympiaca produxit cornua fronte,
Fulmineus vector *sobolem* famulantibus undis
Gaudet *Agenoriam* caelestia colla gravantem,
Cum *Cadmi* cognatus aquas freta magna secaret.“

Alithia.

Insignem vitulum conflaverat ignis et aurum
Ex Aaron digitis; insanit turba rebellis:
Stirps Levi postquam Domini compescuit iram,
Pontificalis ei datur infula iure perhenni.

Pseustis.

Uxoris stimulos luis, Amphiaraë sacerdos,
Pectore flagrantis, dum splendet baca monilis:
Haurit te subito specus ex Acheronte profundo;
Mactat eam tenebris orbatae dextera prolis.

„Calidas .... medullas movit“: eundem tropum saepissime exhibent poetae antiqui et christiani.

Cf. Catulli „Carm.“ 64, 92–93; Vergilii „Aeneidos“ VIII. 389 ss.:

„..... ille repente
Accepit solitam flammam notusque *medullas*
Intravit calor ....“; cf. eiusd. carm. IV. 66 s;

„Georgicon“ III, 271 s.; Ovidii „Amor.“ III. 10, 27: „... tenerae *flammam rapuere medullae* ....“; „Heroidon“ IV. 15; „Metamorph.“ I. 472 s.; VI. 103 ss.; Dracontii „Helenae“ 494 ss.:

„.... *flammata Lacaena*
Ignibus Idaliis; nam dudum *flammiger* ales
Matre iubente puer *telo candente medullas*
Ledaei partus (= Helenae) *furtim iaculatus amorem*
Usserat; ...“ Similia leges in eiusdem „Medeae“ 222 et 242,
„Laud. Dei“ II. 632: „Dulcior et gelidis irrepsit *flamma medullis.*“
Venantii Fortunati „Carm.“ VI. 1, 42: „inhaesit *flamma medullis.*“
Walahfridi Strabi „Vision. Wettini“ 654 s.:
„.... *licitum in stupra calorem — vertentes* .....“;

De **vitulo,** qui dicebatur **aureus,** cf. Exodi 22, 1–23; de caede, quam inter idololatras fecerunt filii Levi cf. eiusd. capitis vers. 25 ss.; de vestitu Aaron cf. Exodi cp. 39; ibi vs. 26: „et *mitras* cum coronulis suis ex bysso“; cf. v. 30.

Prudentii „Hamartigen.“ 468 (de populo Israel):
„... *populum* ... *rebellem.*“

Fusius de **Amphiarao** ab Eriphyle uxore prodito, cuius iniuriam Alcmaeon filius ultus est, tractant Statii „Thebaidos“ IV. 187—213, VII. 789—823, VIII. 104 ss.; e quibus afferam VII. 818—820:

„*Illum ingens haurit specus* et transire parantes
Mergit equos; non arma manu, non frena remisit:
Sicut erat, rectus defert *in Tartara* currus ...“;

et VII. 104 (Amphiaraus de se ipso):

„Coniugis insidiis et iniquo venditus auro.“

Cf. etiam Vergilii „Aeneidos“ I. 654 s.: „..*monile bacatum.*“
Ovidii „Amor.“ I. 10, 31 s. (de Alcmaeone):

„E quibus exierat, *traiecit viscera ferro*
Filius et poenae causa *monile* fuit.“

Alithia.

Fata Chorae miseri parere monent meliori:
Accipit infęrnus, quem devorat arida tellus;
Sed Deus occulte Moysen sepeliverat ipse
Nec cuiquam hominum dedit indagare sepulchrum.

Pseustis.

Ventilat oëstro decoratam cornibus Jo
Juno ferox et ei tutelam deputat Argi;
Mugit pro verbis horrentibus obsita saetis,
Donec in effigiem rediit mutata priorem.

De **Core** eiusque sociorum interitu agitur in „Numeror." 16, 1 ss.: afferam v. 30 ss.:

„. . . »Sin autem (Moyses inquit) novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia, quae ad illos pertinent, *descenderintque viventes in infernum*, scietis quod blasphemaverint Dominum.« Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est *terra* sub pedibus eorum et aperiens os suum *devoravit illos* cum tabernaculis suis et universa substantia eorum; *descenderuntque* vivi *in infernum* operti humo; . . ."

De morte Moysis atque sepultura invenies in „Deuteron." 31, 1; 34, 12; e quibus referam 34, 5 et 6: „*Mortuusque est ibi Moyses*, servus Domini, in terra Moab, *iubente Domino; et sepelivit eum* in valle terrae Moab contra Phogor; et *non cognovit homo sepulchrum eius* usque in praesentem diem."

De **Jone** locus pulcherrimus in Vergilii „Aeneidos" VII. 789 ss.:

„At levem clipeum *sublatis cornibus Jo*
Auro insignibat iam *saetis obsita*, iam *bos*,
Argumentum ingens, et *custos virginis Argus* . . .";

cf. eiusdem p. „Georgicon" III. 147 ss.:

„. . . volitans, cui nomen asilo
Romanum est, *oestrum* (= οἶστρον) *Graii vertere vocantes*,
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis
Diffugiunt armenta; furit *mugitibus* aether . . .;
. . . Hoc quondam monstro *horribilis exercuit iras*
Inachiae Juno pestem meditata iuvencae (= Joni). . .".

Eandem materiam fusius tractant Ovidii „Metamorph." I. 582—667; 724—747;

e quibus cf. 635 ss.:

„*Illa* etiam supplex *Argo* cum brachia vellet
Tendere, non habuit quae brachia tenderet *Argo;*
Conatoque queri *mugitus edidit ore* . . .";

649: „Littera *pro verbis*, quam pes in pulvere duxit,
Corporis indicium *mutati* triste peregit . . ."

Alithia.

Offensus Balaam calcaribus urget asellam;
Angelus occurrit, pecudem qui stare coegit.
Res horrenda nimis! laxatur vox animalis,
Quae consuevit homo producere verba, loquendo.

Pseustis.

Sufficeret thalamis ut Juppiter Amphitrionis,
Noctis opem placidae geminavit candida Phoebe;
Protinus Alcmena licet indignante noverca
Editus Alcides immissos strangulat angues.

---

738 ss.:
„Ut lenita dea est, *vultus capit illa priores*
Fitque quod ante fuit. Fugiunt e corpore *saetae,*
Cornua decrescunt, . . .“ etc.

Cf. eiusdem poetae „Amor.“ I. 3, 21; II. 2, 45–46; III. 4, 19–20; „Heroidon“ XIV. 85—108.
Propertii „Eleg.“ I. 3, 20; III. 24, 17–18; III. 31, 7–14.
Claudiani „De consul. Stilichonis“ I. 312—313.

De asina **Balaam** loquente cf. „Numeror.“ cp. 22, imprimis verss. 22—35. Cf. etiam Sedulii „Carm. pasch.“ I. 160—162.

In Ovidii „Heroidon“ IX. 7 ss. scribit Deianira **Herculi:**
„Hoc velit Eurystheus, velit hoc *germana Tonantis* (= Juno),
Laetaque sit vitae labe *noverca* tuae,
At non ille velit, *cui nox* (sic creditur) *una*
Non tanti, ut tantus conciperere, fuit.“ etc.

Ibidem v. 21—22:
„Tene ferunt *geminos pressisse* tenaciter *angues,*
Cum *tener in cunis* iam *Jove* dignus eras.“

Ibidem v. 44: „Nec *patr Amphitryon* nec puer Hyllus adest.“

Ibidem v. 85—86:
„Scilicet *immanes elisis faucibus hydros*
Infantem caudis involvisse *manum.*“

Cf. Ovidii „Amor.“ I. 13, 45–46:
„*Ipse deum genitor,* ne te tam saepe videret,
Commisit noctes in sua vota *duas.*“ Cf. „Trist.“ II. 402.

Cf. „Art. amat.“ II. 217 s.:
„Ille, *fatigata praebendo monstra novercae*
Qui meruit caelum, . . .“;

Clarius adhuc in eiusd. carm. I. 187 s.:
„*Parvus erat manibusque duos* Tirynthius *angues*
Pressit et in cunis iam *Jove* dignus erat.“

Cf. etiam „Metamorph.“ IX. 64—68.

Alithia.

Victrici populo ne quondam vivida bello
Deficeret virtus Gabaon ad proelia, Phoebus
Imperio Josuae stabat defixus in arce:
Quae sanctae fidei sint praemia, discite cuncti.

Pseustis.

Alcidae vigilem spoliavit clava draconem;
Gerionis pompam rapit et consumpserat ydram:

Praeter Ovidianos locos cf. Verg. „Aeneidos" VIII. 288 ss.:
„. . . qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt; ut *prima novercae*
Monstra manu geminosque premens eliserit
anguis; . . ."
Propertii „Eleg." III. 15, 25:
„*Juppiter Alcmenae geminas* requieverat Arctos
Et caelum *noctu bis* sine rege fuit; . . ."

„Alcmena . . editus": cf. Ovidii „Metamorph." IX. 23 ss.: „. . quo te iactas, *Alcmena nate*, *creatum*, Juppiter . ."; De Herculis ortu et factis cf. Senecae „Herc. fur." v. 205—278.

De die precibus **Josuae** prorogata cf. „Jos." 10, 12 ss.: „Tunc locutus est *Josue* Domino in die, qua tradidit Amorrhaeum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: »Sol contra *Gabaon* non movearis, et luna contra vallem Aialon«. *Steteruntque sol et luna*, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro iustorum? *Stetit itaque sol in medio coeli* et non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea nec postea tam longa dies *obediente Domino voci hominis* et pugnante pro Israel." Cf. Sedul. „Carm. pasch." I. 163—169; Aldhelm. „De laudib. virgin." (Migne 247 B): „. . *alta* bis clamat *ab arce*".

Similis rerum ab **Hercule** praeclare gestarum expositio legitur apud Ovid. „Metam." IX. 182 ss.; e quibus 184 ss.:
„. . . nec me *pastoris Hiberi* (= Geryonis)
Forma triplex nec forma triplex tua, *Cerbere*, movit?
Vosne, manus, validi pressistis cornua tauri?
Vestrum opus Elis habet, vestrum Stymphalides undae,
Partheniumque nemus? Vestra virtute relatus
Thermodontiaco caelatus balteus auro,
Pomaque ab insomni concustodita dracone?
Nec mihi Centauri potuere resistere nec mi
Arcadiae vastator aper? Nec profuit *hydrae*
Crescere per damnum geminasque resumere vires?"
Cacum devictum addit Martialis „Epigr." V. 65:
„Astra polumque dedit, *quamvis obstante noverca*,
Alcidae Nemees terror et Arcas aper

Cacus cessit ei, succumbit ianitor Orci:
Incendit demum paelex Deianira superbum.

Alithia.

Samson exuviis indutus membra leonis
Sternit mille viros, devastat vulpibus agros,

Et castigatum Libycae ceroma palaestrae
Et gravis in Siculo pulvere fusus Eryx,
Silvarumque tremor, tacita qui fraude solebat
Ducere non rectas *Cacus* in antra boves.
Ista tuae, Caesar, quota pars spectatur harenae?
Dat maiora novus praelia mane dies.
Quot graviora cadunt Nemeaeo pondera monstro!
Quot tua Maenalios collocat hasta sues!
Reddatur si pugna triplex *pastoris Hiberi*,
Est tibi qui possit vincere *Geryonem*.
Saepe licet Graecae numeretur *belua Lernae*
Improba Niliacis quid facit *Hydra* feris? . . ." Cf. eiusdem „Epigr." IX. 101, 1-10.

De clava Herculis cf. „Metam." IX. 236; „Heroid." IX. 117: „Instruxitque manum *clava* domitrice ferarum". Cf. „Met." IX. 236.

De **Geryone** devicto cf. Vergilii „Aeneid." VIII. 201 s.:

„. . . Nam maxumus ultor,
Tergemini nece *Geryonae spoliisque superbus*
Alcides aderat *taurosque* hac victor agebat . . ."; cf. VII. 662; etiam Ovidii „Heroid." IX. 91—92.

De hydra Lernaea cf. Vergilii „Aeneid." VIII. 299—300:

„. . . non te rationis egentem
Lernaeus turba capitum circumstetit *anguis*".

Cf. VI. 287; cf. Ovidii „Heroid." IX. 115; „Metam." IX. 68 ss.

De Caci dolo et interitu relegas Verg. „Aeneidos" VIII. 184—267; Ovidii „Fast." I. 543—586; IV. 66—68; V. 646—7; VI. 77—82; Propertii „Eleg." V. 9, 1-20.

Quomodo Cerberus ex inferis sit repetitus, invenies in Ovidii „Heroid." IX. 94; Verg. „Aeneid." VIII. 296:

„Te Stygii tremuere lacus, te *ianitor Orci* (cf. VI. 400)
Ossa super recubans antro semesa cruento." Cf. Senecae „Hercul. fur." 760—829.

De Deianira aemula eiusque errore fatali cf. Ovidii „Heroid." IX. (totum); quae ibi Jolen aemulam paelicem vocat v. 121 et 132; eiusdem „Metamorph." IX. 133—272; paelex Jole 144, 151; 161:

„*Incaluit* vis illa mali, *resolutaque flammis*
Herculeos abiit late diffusa *per artus*."

Cf. ibidem v. 172, 174, 202.

De **Samsonis** virtute agunt libri Judicum cpp. 13, 24—16, 29. — De leone discerpto cf. 14, 5 ss.; de vulpibus captis 15, 4 ss.; de mille viris interfectis 15, 15 ss.; de portis Gazae ablatis 16, 1-3; quomodo a Dalila deceptus sit: 16, 4 ss.; 16, 9: „. . clamavitque ad eum: »Philistiim

Urbis claustra tulit, nervorum vincula rupit:
Fraude sua tandem praecidit Dalila crinem.

Pseustis.

Nomina mille deum vatem defendite vestrum,
Qui colitis Ditem, qui stelliferam regionem,
Qui partes mundi, qui stagna sonantis abissi;
Nomina mille deum vatem defendite vestrum.

Alithia.

Par idemque Deus, maiestas, gloria, virtus,
Quod fuit, est et erit, te collaudat, tibi servit,
Cui tres personae, tria nomina; tu sine fine,
Tu sine principio nos vincere falsa iubeto.

---

super te, Samson«. Qui *rupit vincula*, quomodo si rumpat quis filum de stuppae tortum putamine, . ." 16, 19 ss.: „At illa dormire eum fecit super genua sua et in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem et *rasit septem crines eius* et coepit abigere eum et a se repellere; statim enim ab eo fortitudo discessit" . . .

Apud Vergilium „Aeneid." VII. 337 s. Juno Allecto furiam his alloquitur:

„. . . tibi *nomina mille*,
Mille nocendi artes. . . ."; M. Claudii Victoris „Alethias" II. 310: „per *nomina mille* nepotum". Prudentii „Peristeph." X. 668 s.: „. . an comprecari *mille formarum deos*"; cf. eiusdem „Contra Symmachum" II. 236, ubi Deum pagano facit dicentem: „. . Tu me praeterito meditaris *numina mille*". Dracontii „Helen." 472 ss.:

„Aurea siderei proles Venus alma Tonantis
Numina mille tenens, artes cui *mille* favendi
Dat pater . . ."

Aldhelm. „Laud virg." II. 1445:
„Lucida *stelligeri* . . . culmina *coeli*"; iam ibidem I. 2:
„. . . *stelligeri* culmina . . . *coeli*"; Hrabani Mauri c. XXVI. 1—3 („P. L." II. p. 189):

„Te deus aeternus, hominum sanctissimus auctor,
Stelligeram caeli summus qui continet *arcem*
Perspicit atque omnem fortis dominator *abyssum*, . .";

Walahfridi Strabi carm. XIX. v. 16 („P. L." II. 364):
„. . Lucida *stelligeri* me feret *aula poli?*"

Nonne Mauri et Strabi loci simillimi indicant „Theodulum" quoque eiusdem fere aetatis fuisse?

Ermoldi Nigellii „In honor. Hludowici" III. 339—340 („P. L." II. 67):

„*Hic deus est unus*, quamvis sint *nomina trina*.
Par honor atque decus et *fuit, est, quoque erit.*"

Dracontii „Satisfact." 1—8 simillima: e quibus v. 1: „Rex immense *deus* . . . ."

Pseustis.

Certavere sequi demissis frondibus orni
Orphea per silvas modulantem carminis odas;
Euridicen motis, qui regna tenent Acherontis,
Condicione gravi iussit Proserpina reddi.

---

v. 5: „. . . *Principio* seu *fine carens* et temporis expers, . . .“
v. 8: „*Idem* semper *eris*, qui *es* modo vel fueras.“
Cf. etiam eiusdem „Laudum Dei“ v. 20—22:
„Cui pietas aeterna manet, *lux, spiritus, ardor*,
Et cui dicuntur *laudes sine fine* perennes;
Et merito, quia *fine carens primordia nescit.*“
Cf. etiam Commodiani „Carm. apologet.“ v. 125:
„Hic *sine initio* semper est *Deus* et *sine fine.*“
Claudii Marii Victoris „Prec.“ v. 8:
„Tu *sine principio,* pariter *sine fine* perennis.“
Prudentii „Contra Symm.“ II. 95:
„. . . Qui vel *principio caruit* vel *fine carebit.*“

De **Orphei** miro fidium cantu locus classicus est Ovidii „Metamorph.“ X. 1—105:

„Collis erat, collemque super planissima campi
Area, quam viridem faciebant graminis herbae.
Umbra loco deerat. Qua postquam parte resedit
Dis genitus vates (= Orpheus) *et fila sonantia movit,*
Umbra loco venit. Non Chaonis afuit arbor (= quercus),
Non nemus Heliadum, non *frondibus* aesculus altis,
Nec tiliae molles nec fagus et innuba laurus,
Nec coryli fragiles et *fraxinus utilis hastis*
Enodisque abies cirrataque glandibus ilex
Et platanus genialis acerque coloribus impar,
Amnicolaeque simul salices et aquatica lotos
Perpetuoque virens buxum tenuesque myricae
Et bicolor myrtus et bacis caerula tinus.
Vos quoque, flexipedes hederae, venistis et una
Pampineae vites et amictae vitibus ulmi:
Ornique et piceae pomaque onerata rubenti
Arbutus et lentae, victoris praemia, palmae
Et *succincta comas* hirsutaque vertice pinus,
Grata deum matri; . . . .“ etc.

Praeter hunc locum pulcherrimus legitur in Vergilii „Georgic.“ IV. 453—527: e quibus afferam 469 ss.:

„. . Manisque adiit *regemque tremendum*
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At *cantu commotae* Erebi de sedibus imis
Umbrae ibant tenues; . . .“

485 ss.: „Jamque pedem referens casus evaserat omnis
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras
Pone sequens, — namque *hanc dederat Proserpina legem* —
Cum subita incautum dementia cepit amantem.“

510: „Mulcentem tigris et *agentem carmine quercus.*“

Alithia.

Ne regis corpus vexaret praedo malignus,
Cordarum musa puer adiuvit citharista;
Cuius erat studium pelles tondere bidentum,
Temporis articulo successit dextera sceptro.

Horatii „Carm." I. 12, 6–12:

„. . . Unde vocalem temere *insecutae*
Orphea silvae
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos,
Blandum et auritas *fidibus canoris*
Ducere quercus."

Cf. eiusd. „Carm." I. 24, 13 s.; III. 11, 13 ss.

Sidonii Apollinaris „Carm." II. 70:

„. . . nec si modo surgat Averno,
Qui cantu flexit scopulos *digitisque canoris*
Compulit auritas ad plectrum currere silvas."

Venantii Fortunati „Carm." VII, 1, 1–4:

„*Orpheus* orditas moveret dum pollice chordas
Verbaque percusso pectine fila darent,
Mox resonante *lyra tetigit dulcedine silvas,*
Ad citharae cantus traxit amore feras."

Argumentum apud antiquos celebratissimum erat: cf. Propert. „Eleg." IV. 1, 41 s.; Vergilii „Bucolic." III, 46: „*Orpheaque* in medio posuit *silvasque sequentis*"; similia de Hesiodo Verg. „Buc." VI. 70—71; eiusd. „Culic." 278—95; Ovidii „Art. am." III. 321 s.; „Trist." IV. 1, 17 s.; „Metam." XI. 1—66; e quibus 45—46;

„. . . te *carmina* saepe *secutae.*
Fleverunt *silvae; positis* te *frondibus arbos*
Tonsa comam luxit; . . ."

Senecae „Herc. fur." 569—589; Statii „Silv." V. 1, 23 ss., Claudiani „De consul. Stilichonis" II. 172; eiusdem „De raptu Proserpinae" praef. v. 7—8.

De **David** arte psallendi cf. I. Reg. 16, 14 ss.: „Spiritus autem Domini recessit a Saul et *exagitabat eum spiritus nequam* a Domino. Dixeruntque servi Saul ad eum: »Ecce *spiritus Dei malus* exagitat te. Jubeat dominus noster, et servi tui, qui coram te sunt, quaerent hominem *scientem psallere cithara*« . . ."; 16, 23: „Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, *David* tollebat *citharam* et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul et levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus . . ." 16, 11: „Dixitque Samuel ad Isai: »Numquid iam completi sunt filii?« Qui respondit: »Adhuc reliquus est parvulus, et *pascit oves*«.

Quos sacrorum Bibliorum locos respiciens canit Godescalcus, „Carm. VII. ad Rathr." v. 60—68 („P. L." III. p. 735 s.):

„Sic *cytharista* etenim studuit celeberrimus olim
Cor sedare hominis fidibus psallendo canoris,
Nimirum hominis *iam regni honore carentis,*

Pseustis.

Herbarum succos tractans Cillenius heros
Exortes lucis virga revocavit ab umbris,
Arte potens tali, credas ut cuncta fateri,
Quod natum Maiae lactavit mamma novercae.

Quem *draco crudelis vexabat et improbus anguis,*
Et vere merito, dominum quia liquerat ultro
Elatus fastu nimio feritatis et astu.
Huic te psalmistae, huic, inquam, similem *cytharistae*
Dixerim, amice sacer, generose poeta, frequenter
Qui modulando *levigas grave pectus amici!*"

Prudentii „Cath." X. 37—8; „*perfidi* . . *praedonis*"; eiusd. „Hamartigen." 553—4: „*maligni* . . hostis."

Aldhelmi „De laud virgin." (Migne 248 D): „sublata fraude *maligni*"; Hrabani Mauri „Orat. ad Deum" v. 13: „deceptus fraude *maligni*".

Ex innumeris fere locis, quibus **Mercurii** mentio fit, huic simillimus esse videtur Verg. „Aeneid." IV. 238 ss.:

„Dixerat. Ille (= Mercurius) patris magni parere parabat
Imperio; et primum pedibus *talaria* nectit
Aurea, quae sublimem alis sive aequora supra
Seu terram rapido pariter cum flamine portant;
Tum *virgam* capit; *hac animas ille revocat Orco*
Pallentis, alias sub Tartara tristia mittit,
Dat somnos adimitque et lumina morte resignat.
Illa fretus agit ventos et turbida tranat
Nubila . . . ." Cf. eiusdem carminis IV. 252, 256—8, 276; VIII. 138 ss.:

„Vobis *Mercurius* pater est, quem candida *Maia*
Cyllenae gelido conceptum vertice fudit."

Ovidii „Metamorph." I. 671 s.:

„. . *alas pedibus virgamque potenti*
Somniferam sumpsisse manu tegumenque capillis . .";

Cf. eiusdem carminis II. 685, 735 s., IX. 303 s., 305 ss., „Fastor." V. 81—90, 663—692.

Horatii „Carm." I. 10, 17 ss. (Mercurio):

„*Tu pias laetis animas reponis*
Sedibus virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus et imis." Cf. eiusd. „Carm." I. 2, 40—44; 24, 15—18.

Statii „Thebaidos" II. 1—3 et 10:

„Interea *gelidis Maia satus aliger umbris*
Jussa gerens magni remeat Jovis, undique pigrae
Ire vetant nubes et torpidus implicat aër, . .
. . It tamen et *medica firmat vestigia virga.*"

Cf. eiusd. „Silv." II. 1, 189 s.; „Thebaid." IV. 482 s.:

. . „*virgaque potenti — Nubilus Arcas agat* . .";

Alithia.

Omnipotens Ididae poscenti dona Sophiae
Annuit in tantum, naturae vincat ut usum;
Praeditus ingenio decoravit moenia templo;
Confectum gazis evertit amor muliebris.

Prudentii „Contra Symmachum" I. 83—101; e quibus afferam v. 87: „Mercurius, Maia genitus, . ."; vss. 89—91:

„. . Nec non *Thessalicae* doctissimus ille *magiae*
Traditur extinctas sumptae moderamine virgae
In lucem revocasse animas, . .";

Claudiani „De raptu Proserpinae" I. 76 ss.:

„Tum *Maia genitum*, qui fervida dicta reportet,
Imperat acciri. *Cyllenius* astitit *ales*
Somniferam quatiens virgam tectusque galero."

Cf. Martiani Capellae I. § 9 et § 26.

Idida (= Jedidiah = amabilis Domino): II. Reg. 12, 24—25. Quomodo Salomon sapientiam petierit, videas, quaeso, III. Reg. 3, 5—14; e quibus afferam 11-12:

„Et dixit Dominus Salomoni: »*Quia postulasti* verbum hoc et non petisti tibi dies multos nec divitias aut animas inimicorum tuorum, *sed postulasti tibi sapientiam* ad discernendum iudicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos et *dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit nec post te surrecturus sit*."

Quomodo templum erexerit, legitur III. Reg. 5, 1—8, 66.

De Salomonis divitiis et vectigalibus cf. III. Reg. 10, 14 ss.; quomodo corruptus sit a mulieribus gentium, vide III. Reg. 11, 3: „. . et *averterunt mulieres* cor eius."

Sophiae: Jam Enni „Annal." VII. fr. 2 p. 35; Vergilii „Ciris" 3—4:

„Cecropius suaves expirans hortulus auras
Florentis viridi *Sophiae* complectitur umbra."

Martialis „Epigr." I. 111, 1: „. . *sophiae* par fama"; eiusdem „Epigr." VII. 74, 9:

„Hic pius antistes *sophiae* sua dona ministrat." Cf. Martiani Capellae I. § 6 s. et § 23.

Ex poetis christianis de **divina sapientia** hoc vocab. saepius usurpatur: Prudentii „Dittochaeon" XXI. 81 s.:

„Aedificat *templum sapientia per Salomonis*
Obsequium: . . ."

Idem „Contra Symmachum" I. 34: „*dogma sophiae*"; „Cathemerinon" XII. 2: „*Sophia*"; XI. 17—20 (Christum alloquitur):

„Ex ore quamlibet Patris
Sis ortus et verbo editus,
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius."

Theoduli quoque aetate hoc vocabulum viguisse probabo his locis: „P. L." II. p. 106 (Candidus de vita Aeigili II. 48): „. . *sophia* qui acrior

Pseustis.

Chonia cum raros quateret Dodona racemos,
Mater larga Ceres miserata fame pereuntes
Triptolemum mundo misit serpente ministro,
Qui primum terrae spem demonstravit aristae.

---

extat"; II. p. 496 („Gest. Apollonii" v. 419): „Arte didascalica necnon luctante *sophia* . . ."; III. 375 (Dial. Agii 141—142):

„Sic olim reges terrae faciem *Salomonis*
Ipsius audita gestierant *sophia*."

III. 734 (Godescalci „Carm. ad Rathr.") 39:

„Ditavit *sophiae* . . . honore."

Chonia (contr. ex Χαονία; cf. Gruppe „Griech. Myth." I. 351, II. 1727; etiam Benseler, Wörterb. d. griech. Eigenn. II. p. 1696) restituendum esse existimo, quamvis omnes 25 codices, quos inspexeram, (G)nosia exhibuerint; error mihi iam in archetypum omnium videtur irrepsisse; minime enim possum adduci, ut iam Theodulum adeo errasse de Dodonae situ censeam, quam in Epiro, non in Creta insula situm doctissimus ille vir procul dubio noverat; certe enim eum non fefellerant Ovidii „Metamorph." III. 716 s.:

„Vocalemque sua *terram Dodonida quercu*
Chaoniosque sinus, . .";

Lucani „Pharsal." III. 179 s.: „. . . *quercusque silentes*
Chaonio veteres liquerunt *vertice* Sellae".

Statii „Thebaid." III. 475 s.:

„. . aut *frondes* lucis quas fama Molossis
Chaonios sonuisse tibi; . ." cf. etiam VII. 92:
„*Chaonium nemus;*" cf. VIII. 201 s.;

Sili Italici „Punic." III. 679 ss.:

„Quarum *Chaonias* pennis quae contigit oras,
Implet *fatidico Dodonida murmure quercum*".

Claudiani „De III. cons. Honorii" v. 116 ss.:

„. . Te pulcher Enipeus
Celsaque *Dodone* stupuit *rursusque locutae*
In te *Chaoniae moverunt carmina quercus*".

Cf. eiusdem „De bello Pollentino" v. 135 ss.:

„. . . non *Chaonas* atque Molossos,
Quos Epirus alit, nec *Dodonea* subegit
Agmina fatidicam frustra iactantia *quercum*".

Cf. eiusdem „De raptu Proserpinae" I. 30 s.; III. 41 ss.; III. 47: „*Chaonio* statui gentes avertere *victu*" (= glandibus).

Martiani Capellae VI. § 651: „*Epirus* autem incipit Acrocerauniis montibus, in qua proximi *Chaones*, a quibus dicta *Chaonia;* deinde mons Pindus, Dryopes Molossique, *Jovis Dodonaei fano inclyto celebrati*".

Proxime ad totum hunc Theoduli locum accedunt, quae leguntur apud Sidonium Apollinarem, „Carm." IX. 181 ss.:

„Non cum *Triptolemo* verendam Eleusin,
Qui *primas populis dedere aristas*

Alithia.

Nubes aethereas precibus constrinxit Helias,
Gramina nulla super madidus stillaret ut imber;
Pulsus humo patria bibit a torrente propheta;
Suffecit pastus, quem detulit assecla corvus.

Pastis *Chaonium per ilicetum*"; cf. etiam eiusdem poetae „C. XXII. 175 ss.:

„. . Quantum, quae tacitis *Cererem* venerata choreis
Attica *Triptolemo* civi condebat Eleusin,
Cum *populis hominum glandem linquentibus olim*
Fulva *fruge data* iam *saecula fulva perirent.*"

Juvenalis „Sat." XIV. 181 ss.:

„. . panem quaeramus aratro,
Qui satis est mensis; laudant hoc numina ruris,
Quorum ope et auxilio *gratae post munus aristae*
Contingunt homini *veteris* fastidia *quercus.*"

Qualiter homines **aurea aetate** vixerint, enarrat Ovidius „Metam." I. 103 ss.:

„Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fetos montanaque fraga legebant
Cornaque et in duris haerentia mora rubetis
Et *quae deciderant patula Jovis arbore, glandes.*"

Cf. eiusd. Metam. V. 642 ss.; VII. 622 ss.; „Fastorum" I. 669 ss.; IV. 393—620; impr. 507 ss.; „Amor." III. 10, 3–14; „Art. am." II. 622 s.; „Tristium" III, 8, 1 s.

Vergilius iam causam invehendi frumenti cecinerat „Georgc." I. 147 ss.:

„*Prima Ceres ferro mortalis vertere terram*
Instituit, cum iam *glandes* atque arbuta *sacrae*
Deficerent silvae et victum *Dodona* negaret."

Cf. II. 67: „*Chaoniique patris glandes*". Cf. „Culicis" 134—6.

„Mater larga Ceres": cf. Ovidii „Metam." VI. 118: „. . . *flava frugum mitissima mater*".

„Serpente ministro": cf. Verg. „Aeneid." II. 100: „*Calchante ministro*"; VIII. 442: „arte *magistra*"; etiam XII. 427; Juvenal. „Sat." III. 46: „me . . *ministro*"; „P. L." II. 6 (Ermoldi Nigellii „In hon. Hludowici" I. 57): „arte *magistra*".

De **Eliae** precibus cf. III. Reg. 17, 1 ss.: „Et dixit *Elias* Thesbites . . ad Achab: ›Vivit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, *si erit annis his ros et pluvia, nisi iuxta oris mei verba*‹. (Cf. Eccli 48, 1 ss.; Jac. 5, 17 ss.). Et factum est verbum Domini ad eum dicens: ›*Recede* hinc et vade contra orientem et abscondere in *torrente* Carith . . . et *ibi de torrente bibes: corvisque praecepi, ut pascant te* ibi‹ Abiit ergo, . . . sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem. *Corvi* quoque *deferebant* et panem et carnes mane, similiter panem et carnes vesperi, et *bibebat de torrente*".

Pseustis.

Gorgonis effigie mortalis vertitur ide;
Nam qui viderunt, lapides quasi diriguerunt.
Bellorofon monstro cum Palladis arte perempto
Comit equi pennas et se dimittit in auras.

Alithia.

Effugium terrae Jezabel obstruxit Heliae,
Cum distractus equis apparuit igneus axis;
Flammea, quae venit, vatem quadriga levavit;
Spiritus heredi geminatur amore magistri.

Aldhelmi „De laudibus virg.“ (Migne p. 243) de eadem re 25 versibus agit; e quibus simillimi:

„Quique quater denis et binis mensibus actis
Astriferum *clausit* quadrato cardine *coelum*,
Aridus ut nullis roraret nubibus aether,
Atque negarentur latices morientibus herbis,
Nec sitiens pratum caperet nutrimina lymphae.“

De **Gorgonis** Medusae capite agit Ovidius „Metam.“ IV. 604—662; 770—803; e quibus 779 ss.:

„. . *Gorgoneas* tetigisse domos: passimque per agros
Perque vias *vidisse hominum simulacra ferarumque*
In silicem ex ipsis visa conversa Medusa:
Se tamen horrendae clipei, quod laeva gerebat,
Aere repercusso formam aspexisse Medusae:
Dumque gravis somnus colubrasque ipsamque tenebat,
Eripuisse caput collo; pennisque fugacem
Pegason et fratrem matris de sanguine natos.“ Cf. ibidem

V. 178—249; 186: „*Dextera diriguit*“; cf. 233.

Cf. Horatii „Carm.“ IV. 11, 26 ss.; Claudiani „In Rufin. praef.“ v. 15: „Pythone *perempto*“. Quomodo Bellerophon Pegaso vectus Chimaeram occidit, ita eiusdem equi auxilio Perseus feram marinam devincit: Ovidii „Metam.“ IV. 706—734; Horat. „Carm.“ I. 27, 23–24.

Jezabel Eliae mortem minatur III. Reg. 19, 1 ss.; a Domino Elias in coelum elevatus IV. Reg. 2, 1 ss.: „Factum est autem, *cum levare vellet Dominus Eliam* per turbinem *in coelum*, ibant Elias et Elisaeus de Galgalis. Dixitque Elias ad Elisaeum: »Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel.« Cui ait *Elisaeus:* »Vivit Dominus et vivit anima tua, *quia non derelinquam te.*«. . . Ibidem v. 9: „Cumque transissent, Elias dixit ad Elisaeum: »Postula, quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar a te.« Dixitque Elisaeus: »Obsecro, *ut fiat in me duplex spiritus tuus.*« Qui respondit: »Rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando

Pseustis.

Tithonum thalamis dignans Aurora superbis
Augendo vitam mutavit in usque cicadam;
Extinctum Troiae sepelivit Mennona longae,
Annua cuius aves venerantur festa frequentes.

tollar a te, erit tibi, quod petisti: si autem non videris, non erit.« Cumque pergerent et incedentes sermocinarentur, ecce *currus igneus et equi ignei* diviserunt utrumque; et ascendit Elias per turbinem in coelum." etc.

Alcimi Aviti „Poem." IV, 179—180:
„. . *Helias curru* post tempora longa secutus [Henoch!]
Scribitur *ignitis scandens penetrasse quadrigis.*" Cf. Theod. v. 65.

Sidonii Apollinaris „Carm." XVI. („Eucharisten ad Faustum Episcopum") v. 31 ss.:
„. . . quique *duplex* quondam venisti in pectus *Helisei*,
Thesbiten cum forte senem (= Eliam) iam *flammeus axis*
Tolleret et scissam linquens pro munere pellem
Hispidus ardentes *auriga* intraret habenas."

Cf. Prudentii „Cathem." VII. 26—35; Ennodi I. 119 s.; Flori Lugdunensis „Carm." IV. 197 ss.:
„*Flammigero curru* mortali in carne *propheta*
Tollitur in caelum, tantum nec laeditur igni."

Locus simillimus de **Aurora** ac **Memnone** filio forte est Ovid. „Amor." I. 13, 3—4:
„Quo properas, *Aurora?* mane! sic *Memnonis umbris*
Annua sollemni caede parentet *avis.*"

De Memnonis morte cf. Ovidii „Metamorph." XIII. 576—622; 617 ss.;
„*Praepetibus subitis* nomen facit auctor. Ab illo
Memnonides dictae, cum sol duodena peregit
Signa, *parentali* moriturae *luce* rebellant." Cf. Gruppe „Griech. Mythol." I. 313, n. 15; 643 ss.

Cf. Vergilii „Aeneid." IV. 584 s. (de Tithono exaltato):
„Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile." Cf. IX. 459—460;

Cf. etiam I. 489, VIII. 384. Jam Propertius de eadem re cecinerat „Eleg." III. 10, 7 ss.:
„At *non Tithoni spernens Aurora senectam*
Desertum Eoa passa iacere domost:
Illum saepe suis decedens fovit in ulnis,
Quam prius adiunctos sedula lavit equos: . .
. . . Cui maiora *senis Tithoni* gaudia vivi,
Quam *gravis amisso Memnone luctus erat.*
Cum sene non puduit talem dormire puellam
Et canae totiens oscula ferre comae."

Cf. Claudiani „In Eutropium" lib. II. 526—530.
Sedulii „Carm. pasch." III. 1: „ . . . *thalamis dignatus adesse.*"

Alithia.

Addictus morti faciem rigat imbre salubri
Rex Ezechias et fati distulit horas;
Ne dubitaret item se promeruisse salutem
Lora sui cursus retro sol flexit anhelus.

Pseustis.

Excedit laudes hominum, qui primus agones
Instituit fieri sub vertice montis Olimpi:

De **Ezechiae** regis vita prorogata cf. IV. Reg. 20, 1–21: „In diebus illis *aegrotavit Ezechias usque ad mortem;* et venit ad eum Isaias filius Amos propheta, dixitque ei: »Haec dicit Dominus Deus: Praecipe domui tuae: morieris enim tu et non vives.« Qui convertit faciem suam ad parietem et oravit Dominum dicens: »Obsecro, Domine, memento quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim.« *Flevit itaque Ezechias fletu magno.* Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum dicens: »Revertere et dic Ezechiae duci populi mei: Haec dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam *et vidi lacrymas tuas et ecce sanavi te:* die tertio ascendes templum Domini. *Et addam diebus tuis quindecim annos*«: . . . Dixerat autem Ezechias ad Isaiam: »*Quod erit signum*, quia Dominus me sanabit, et quia ascensurus sum die tertio templum Domini?« Cui ait Isaias: »Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: Vis, ut ascendat umbra decem lineis *an ut revertatur totidem gradibus?*« Et ait Ezechias: »Facile est, umbram crescere decem lineis: nec hoc volo, ut fiat, *sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.*« Invocavit itaque Isaias propheta Dominum *et reduxit umbram per lineas,* quibus iam descenderat in horologio Achaz, *retrorsum decem gradibus.*"

Paulini Petricordiae „De vita Martini" I. 325: „. . *fletu rigat ubere vultum.*" Sedulii „Carm. pasch." I. 220: „. . *distulit horas*": cf. I. 222:

„. . (Deus) iam *morte gravato*
Adiecit tria lustra viro."

„Sol — anhelus": cf. Vergilii „Aeneidos" V. 739: „Et me saevus *equis Oriens* adflavit *anhelis*"; ibidem XII. 790: „. . certamina Martis *anheli*". Ovidii „Metamorph." IV. 633 s.: „. . *Solis anhelis . . . equis*"; XV. 418 s.: „. . et in alto *Phoebus anhelos* — Aequore tinguet *equos*".

Statii „Achilleid." I. 690 s.:

„*Phoebus* et Oceani penetrabile litus *anhelis*
Promittebat *equis*; . ." Silii Italici „Punic." I. 209.

Dracontii „Laud. Dei" I. 26: „radii *solis . . anheli*"; . .
cf. ibidem I. 187; II. 91; eiusdem „Medeae" 92 s.:

„. . . ceu *Phoebus anhelos*
Oceano demergit *equos.*"

Venantii Fortunati „Carm." VI. 9, 14:

„. . *solis anhelantes . . equos.*"

De **agonibus Olympiacis** ab Hercule in Olympia Elea sub monte quodam Olympo sita institutis ubique fit mentio.

Ardua victrices obnubit laurea crines;
Ducit pompa domum; sequitur confusio victum.

Alithia.

Casum Josiae deflebant oppida Judae:
Magedo campos fons detestatur et arbos;
Maerent morte sua leges et nobile pascha,
Omnis adhuc aetas, sed praecipue Jeremias.

Pseustis.

Dum tonitrus simulat Salmon et fulmina quassat
Lampade terrifica percurrens Elidis arva,

Vergilii „Georgc." III. 49 s.:
„Seu quis *Olympiacae* miratus *praemia palmae*
Pascit *equos* seu . . .";

Cf. ibidem III. 21: „. . sollemnis *ducere pompas*"; eiusd. „Aeneid." XI. 163: „. . *pompa* domum *me*, non Pallanta *referret!*" Cf. Ovidii „Amor." I. 2, 28; III. 13, 12 et 31; „Heroidon" XII. 151—2; cf. Horatii „Carm." IV. 2, 17 s.:

„Sive quos *Elea domum reducit*
Palma caelestes . .";

De interitu **Josiae,** piissimi regis, legimus in IV. Reg. 23, 29 s.: „In diebus eius ascendit Pharao, rex Aegypti, contra regem Assyriorum ad flumen Euphraten; et abiit Josias rex in occursum eius *et occisus est in Mageddo,* cum vidisset eum." etc. Fusius de eius casu tractat II. Paralipom. 35, 20 ss.: „Postquam instauraverat Josias templum, ascendit Nechao, rex Aegypti, ad pugnandum in Charcamis iuxta Euphraten; et processit in occursum eius *Josias.* At ille missis ad eum nuntiis ait: »Quid mihi et tibi est, *rex Juda?* Non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire praecepit: desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te.« Noluit Josias reverti, sed praeparavit contra eum bellum nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei; verum perrexit, ut dimicaret *in campo Mageddo.* Ibique vulneratus a sagittariis dixit pueris suis: »Educite me de proelio, quia oppido vulneratus sum.« Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio, et asportaverunt eum in Jerusalem; *mortuusque est* et sepultus in mausoleo patrum suorum; et *universus Juda et Jerusalem luxerunt eum; Jeremias maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices usque in praesentem diem lamentationes super Josiam replicant; et quasi lex obtinuit in Israel:* Ecce scriptum fertur in lamentationibus."

Salmon = Σαλμωνεύς; similiter amputata nomina propria: Sedulii „Carm. pasch." III. 236: „Genesar" pro „Genesareth"; Dracontii „Medeae" 84: „Cythere" pro „Cytherea".

In medio pontis non passus Juppiter hostis
Comparis arma sui deiecerat igne minaci.

Alithia.

Inscius esse Deum nisi se rex Assiriorum
Rores et pluvias septem toleravit aristas,
Bestia factus homo; cunctis suadetur in illo,
Discant naturae contenti viribus esse.

Pseustis.

Quadrupedes Phoebi quae cogit causa morari?
Experientur item Phaëtontis saecula cladem.

Quomodo impietas superbi Salmoneos punita sit, refert Vergilii „Aeneid." VI. 585 ss.:

„Vidi et crudelis dantem *Salmonea* poenas,
Dum flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi;
Quattuor hic invectus equis et *lampada quassans*
Per Graium populos *mediaeque per Elidis urbem,*
Ibat ovans divomque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos et non imitabile *fulmen*
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, non ille faces nec fumea taedis
Lumina, *praecipitemque immani turbine adegit.*"

Claudiani „In Rufinum" II. 514: „. . *audax fulmine Salmoneus*"; Dracontii „Laud. Dei" III. 232 s.:

„Sic *imitatorem,* sed *non imitabilis ignis,*
Fulmina mentitum, perculsum fulmine vero,
Sacrilegum cecidisse ferunt Solmonea regem."

Sedulii „Carm. pasch." V. 330: *„igne minaci"*.

De superbi **Nabuchodonosor** insania cf. »Daniel« cp. 4. Ibi v. 26 ss.: „Post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulabat; responditque rex et ait: »*Nonne haec est Babylon magna, quam ego aedificavi in domum regni, in robore fortitudinis meae et in gloria decoris mei?*« Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de coelo ruit: »Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit a te. Et ab hominibus eiicient te et *cum bestiis et feris erit habitatio tua; foenum quasi bos comedes* et *septem tempora* (= anni) *mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus in regno hominum,* et cuicumque voluerit, det illud.« Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor; et ex hominibus abiectus est *et foenum ut bos comedit et rore coeli corpus eius infectum est,* donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent et ungues eius quasi avium." etc. Cf. Sedulii „Carm. pasch." I. 206—211; Dracontii „Satisfact." v. 31—38.

De **Phaëthontis** clade refert Ovidii „Metam." II. 1—332; cf. „Tristium" I. 1, 79—80:

Quid, vesper, cessas? saturarunt prata capellas;
Ruminat omne pecus; nescit procedere Phoebus.

Alithia.

Visibus humanis famulantur lumina solis
Fixa tenore suo, quem prima creavit origo.
Cur noctem revocas? quid vis? me fallere temptas;
Quod te destituunt vires, suspiria produnt.

Pseustis.

Pignoris egregii speciem metuens violari
Acrisius seris obstruxit limina turris;
Et iam tecta super pluviam stillavit adulter
Virginis in gremium: Danaëm corruperat aurum.

„*Vitaret caelum Phaëthon*, si viveret, et quos
Optarat stulte, *tangere nollet equos.*“

Claudiani „Panegyr.“ I. 258 s.:

„Et *Phaetonteae* perpessus damna *ruinae*
Eridanus; . .“

Ovidii „Metam.“ XV. 84: „*Visibus humanis*“; „Gesta Apollonii“ 560: „*humanis visibus*“. — Sedulii „Hymn.“ I. 11: „. . quid *prima* amisit *origo*“.

Quomodo **Acrisius** a Jove deceptus sit, refert Horatii „Carm.“ III. 16, 1 ss.:

„*Inclusam Danaën turris aënea*
Robustaeque fores et vigilum canum
Tristis excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris,
Si non *Acrisium*, *virginis abditae*
Custodem pavidum, Juppiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium deo.
Aurum per medios ire satellites . .“ etc.

Clarius adhuc Prudentii „Contra Symmachum“ I. 65 ss.:

„Nunc *foribus surdis, sera quas vel passulus artis*
Firmarat cuneis, per tectum dives amator
Imbricibus ruptis, *undantis desuper auri*
Infundens pluviam, gremio excipientis amicae.“

Tertius denique locus est Ovidii „Amorum“ III. 9, 29 ss.:

„*Juppiter, admonitus nihil esse potentius auro,*
Corruptae pretium virginis ipse fuit:
Dum merces aberat, durus pater, ipsa severa,
Aerati postes, ferrea turris erat;
Sed postquam *sapiens in munera venit adulter,*
Praebuit ipsa sinus et dare iussa dedit.“

Alithia.

In caveam missum non attigit ira leonum,
Quamvis passa famem, tutante Deo Danielem,
Signatis foribus cui prandia detulit intus
Abacuc uno transvectus regna capillo.

Pseustis.

Thura cremate focis, si quos servare velitis
Fetus incolumes; iubet hoc Latonia proles.

Cf. eiusd. „Metamorph." IV. 611 s.:

(Acrisius) . . „neque enim *Jovis esse* putabat
Persea, quem pluvio Danaë conceperat auro."

Cf. ibidem V. 11; „Amor." II. 19, 27 s.; III. 4, 21; „Art. amat." III. 631 s.; Statii „Silv." I. 2, 136; Claudiani „In Eutrop." I. 82 s.

„Pignora" pro „liberis" (vel uxoribus) ubique inveniuntur: Cf. Ovidii „Heroidon" VI. 122, 130; XI. 113; XII. 192; „Metam." III. 134; „Trist." III. 11, 16; „Fast." III. 775; Claudiani „De bello Pollentino" 84 s.; „De raptu Proserpinae" III. 115 s.; Alcimi Aviti „Poem." I. 185; Claudii Marii Victoris „Alethias" III. 347; ubique.

Ennodi Lib. II. 102, 1: „*divus adulter*".

Vergilii „Georgicon" II. 325 s.:

„Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether (= Juppiter)
Coniugis (= Terrae) *in gremium laetae descendit:* . ."

De **Daniele** ex lacu leonum erepto cf. „Daniel" cp. 6; de Habacuc propheta ibidem 14, 28—42.

6, 16: „Tunc rex praecepit; et adduxerunt Danielem et *miserunt eum in lacum leonum.* . . . Allatusque est lapis unus, et positus est super *os laci, quem obsignavit rex annulo suo et annulo optimatum suorem,* ne quid fieret contra Danielem. . . .";

„Et Daniel regi respondens ait: »Rex, in aeternum vive: *Deus meus* misit angelum suum et conclusit ora leonum« . . .";

14, 28 ss.: „Et dixerunt (Babylonii), cum venissent ad regem: „Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te et domum tuam." Vidit ergo rex, quod irruerent in eum vehementer, et necessitate compulsus tradidit eis Danielem. *Qui miserunt eum in lacum leonum;* et erat ibi diebus sex. Porro in lacu erant leones septem et dabantur eis duo corpora quotidie et duae oves; *et tunc non data sunt eis, ut devorarent Danielem.* Erat autem *Habacuc propheta in Judaea et ipse coxerat pulmentum;* . . . Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius et *portavit eum capillo capitis sui* posuitque eum in Babylone supra lacum . . .";

Dracontii „Laud. Dei" III. 183 ss.:

„*Saeva Danielem rabies* atque *ora leonum*
Non tetigere pium, *cui destinat insuper escam*
Magna Dei pietas ieiuno utroque leone."

Cf. Prudentii „Cathem." IV. 37—72, qui prophetam Ambăcum (49) nuncupat.

Pulcherrimum de **Diana** est Catulli „Carm." XXXIV: e quo afferam: v. 4—5: „O *Latonia,* maximi — Magna *progenies* Jovis — . ."

Ex humero Triviae dependent spicula mille
Cum totidem nervis, Niobae vindicta loquacis.

Alithia.

Presbiteris flammas nec longi temporis aetas
Nec tanti sexus potuit restringere virtus;
Sed districta licet mortis sibi fata videret,
Quam natura dedit legem, Susanna subegit.

Pseustis.

Mens robusta viri levitate cadit muliebri:
Ypomanes tractant, gustu sua membra cruentant.

---

v. 15 ss.: „*Tu potens Trivia* et notho's — *Dicta* lumine Luna. — Tu cursu, dea, menstruo — Metiens iter annuom — *Rustica agricolae bonis* — *Tecta frugibus exples.*“ Cf. Horatii „Carm.“ IV. 6, 1:

„Dive (— Apollo), *quem proles Niobaea magnae*
Vindicem linguae Tityosque raptor
Sensit . . .“.

De superbae **Niobae** vindicta docemur ab Ovidio „Metam.“ VI. 146—312. Mille sagittas Ovidius tribuit Amori in „Metamorph.“ V. 380: „. . . matris *de mille sagittis.*“

De castae **Susannae** salute servata docemur in libro „Daniel“ 13, 1–64.

„Et *constituti sunt de populo duo senes iudices* in illo anno; . . Et videbant eam *senes* quotidio ingredientem (in pomarium), et deambulantem et *exarserunt in concupiscentiam eius*“; . . . „Ingemuit Susanna et ait: »Angustiae sunt mihi undique: *si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras quam peccare in conspectu Domini.*« . . . . „Consurgentes autem duo *presbyteri* in medio populi posuerunt manus suas super caput eius. . .“; etc.

Cf. Alcimi Aviti „Poem.“ VI. 549—620;

570: „. . . *obscenas* . . . *flammas.*“ Cf. Ovidii „Metam.“ VI. 466: „inclusas pectore *flammas.*“

Propert. V. 5, 17 s.:

„Consuluitque striges nostro de sanguine et *in me*
Hippomanes *fetae semina legit equae.*“

Tibulli II. 4, 57 s.:

„Et quod, ubi indomitis gregibus Venus adflat amores,
Hippomanes cupidae stillat ab inguine equae . . . .“

Vergilii „Georgicon“ III. 269—283; e quibus afferam 280 ss.:

„. . Hic demum, *hippomanes* vero quod nomine dicunt
Pastores, *lentum destillat ab inguine virus,*
Hippomanes, quod saepe malae legere novercae
Miscueruntque herbas et non innoxia verba.“

Cf. Aeneidos IV. 515 s.; Plinii „N. H.“ VIII. 42, 66; Ovidii „Amor.“ I. 8, 1–8 talem feminam nomine Dipsada describit:

Femina quid possit, Terei domus aspera novit,
Scit Medea suis infesta clade peremptis.

„Est quaedam (quicumque volet cognoscere lenam,
Audiat!), est quaedam nomine Dipsas anus. . .
. . *Scit bene*, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, *quid valeat virus amantis equae.*"

Cf. eiusd. „Medic. fac." 38.

Verg. „Aeneidos" V. 6: „. . notumque, *quid femina possit*".

De **Progne** atque **Medea** simul canit Ovidius „Amor." II. 14, 29 ss.:
„*Colchida (= Medeam) respersam puerorum sanguine culpant*
Atque sua caesum matre (= Progne) queruntur Ityn;
Utraque saeva parens; sed tristibus utraque causis
Jactura socii sanguinis ulta virum.
Dicite, quis *Tereus*, quis vos irritet *Jaso?* . . ." Cf. „Art. am." II. 381—384.

De Prognes eiusque sororis Philomelae ultione dira cf. Ovidii „Metam." VI. 412—674, imprimis 609 ss.; 619 ss:

„. . . peragit dum talia *Progne*,
Ad matrem veniebat *Itys*. *Quid possit*, ab illo
Admonitast. Oculisque tuens inmitibus »a, quam
Es similis patri!« dixit tacitaque exaestuat ira.
. . Nec mora, *traxit Ityn*, veluti Gangetica cervae
Lactentem fetum per silvas tigris opacas.
Utque *domus altae* partem tenuere remotam,
Tendentemque manus et iam sua fata videntem
Et »mater, mater« clamantem et colla petentem
Ense ferit Progne, lateri qua pectus adhaeret,
Nec vultum vertit. Satis illi ad fata vel unum
Vulnus erat: iugulum ferro Philomela resolvit.
. . . Ipse sedens solio *Tereus* sublimis avito
Vescitur, inque suam sua viscera congerit alvum.
Tantaque nox animi est, »*Ityn* huc accersite« dixit.
Dissimulare nequit crudelia gaudia *Progne:*
»*Intus habes, quem poscis*« ait . . .";

Cf. Epist. „Sappho" 153—155; „Trist." III. 389 s.; Verg. „Bucolic." VI. 78 ss.; Horat. „Carm." IV. 12, 5—8.

De Medeae facinoribus antiqui quam saepissime. Fusius inter eos Ovidii „Metamorph." VII. 1—424; „Heroidon" XII.; „Trist." II. 387 s.

Ex „Medea", tragoedia Senecae, referam illos versus 130 ss., quibus immanem illam Colchidem sua facinora recensentem fecit:

„. . . inclitum regni decus
Raptum et nefandae *virginis parvus comes* (= Absyrtus)
Divisus ense, funus ingestum patri
Sparsumque ponto corpus et *Peliae senis*
Decocta aëno membra: funestum impie
Quam saepe fudi sanguinem, et nullum scelus
Irata feci: suasit infelix amor."

Ex Dracontiana „Medea" adducam v. 416: „*cum clade suorum*".

Alithia.

Aëra ne foedent isthaec convicia, cessent.
Femineas vires expavit dux Olofernes
Insignis viduae vesano captus amore:
Deflent Assirii, quod crediderit mulieri.

Pseustis.

Ardet Scilla thoros, — torquebat viscera Minos —;
Purpureo veterem spoliavit crine parentem:

De **Holoferne** decepto eiusque capite amputato agit totus liber „Judith" 2, 4 s.: „. . vocavit Nabuchodonosor rex *Holofernem principem militiae suae* et dixit ei: „Egredere adversus omne regnum Occidentis et contra eos praecipue, qui contempserunt imperium meum."

8, 4 ss.: „Erat autem *Judith relicta* eius (sc. Manassis) *vidua* iam tribus annis et mensibus sex; . . . Erat autem *eleganti aspectu* nimis, cui vir suus reliquerat *divitias multas* et *familiam copiosam* ac *possessiones* armentis boum et gregibus ovium plenas. Et erat haec *in omnibus famosissima*, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum."

10, 17 s.: „Cumque intrasset ante faciem eius, *statim captus est in suis oculis Holofernes.*" etc.

11, 10 s.: „Et factum est in quarto die Holofernes fecit coenam servis suis et dixit ad Vagao eunuchum suum: »Vade, et *suade Hebraeam illam, ut sponte consentiat habitare mecum. Foedum est enim apud Assyrios, si femina irrideat virum agendo, ut immunis ab eo transeat.*« 10, 16 s.: „*Cor* autem Holofernis *concussum* est, *erat enim ardens in concupiscentia eius.* Et dixit ad eam Holofernes: »Bibe nunc, et accumbe in iucunditate, *quoniam invenisti gratiam coram me.*« etc. Cf. 16, 8–11. Dracontii „Laud. Dei" III. 468 ss.

De Niso a **Scylla** filia prodito fusius agitur in Ovidii „Metamorph." VIII. 1—151. E quibus simillimi 7—10:

„. . . in urbe
Alcathoi (= Megarae), quam *Nisus habet,* cui *splendidus ostro*
Inter honoratos medioque in vertice canos
Crinis inhaerebat, magni fiducia regni."

23 ss: „*Noverat ante alios faciem ducis Europaei* (= *Minois*)
Plus etiam, quam nosse sat est. hac iudice Minos,
Seu caput abdiderat cristata casside pennis,
In galea formosus erat; . . .
. . Vix sua, vix sanae virgo Niseïa (= Scylla) compos
Mentis erat: felix iaculum quod tangeret ille,
Quaeque manu premeret, felicia frena vocabat.
Impetus est illi, liceat modo, ferre per agmen
Virgineos hostile gradus; *est impetus illi*
Turribus e summis in Gnosia mittere corpus
Castra vel aeratas hosti recludere portas,
Vel si quid aliud Minos velit." . . Cf. 51—54.

Sed contempta viro plumas capit incita rostro;
Vexat ubique pater; curvis sonat unguibus aër.

78—80: „. . . *opus est mihi crine paterno.*
Illa mihi est auro pretiosior, *illa beatam*
Purpura me votique mei factura potentem.“
85—86: „Intrat et, heu facinus, *fatali* nata *parentem*
Crine suum spoliat . . .“ cf. 93.
142 ss.: „. . . Vix dixerat, insilit undis,
Consequiturque rates, faciente cupidine vires,
Gnosiacaeque haeret comes invidiosa carinae.
Quam *pater* Nisus ut vidit — *nam iam pendebat in auras,*
Et modo factus erat fulvis haliaeëtos alis —
Ibat, *ut haerentem rostro laceraret adunco.*
Illa metu puppim dimisit *et aura cadentem*
Sustinuisse levis, ne tangeret aequora, visast:
Pluma fuit: plumis in avem mutata vocatur
Ciris, et a tonso est hoc nomen adepta capillo.“

Idem quoque poeta saepissime de eodem mutatae formae prodigio: „Amor.“ III. 12, 21 s.; „Art. amat.“ I. 331 ss.
„*Filia purpureos Niso furata capillos*
[Hunc hostem patitur cum reliquis avibus.
Altera Scylla novum Circes medicamine monstrum]
Pube premit rapidos inguinibusque canes.“
Cf. „Rem. amoris“ 67 s.; „Trist.“ II. 393 s.

Jam ante Ovidium de eadem re tractaverat Propertius IV. 18, 21 ss.:
„Tuque, *o Minoa venundata Scylla figura,*
Tondes purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti:
Nise, tuas portas fraude, reclusit Amor. . .“

Eadem fere aetate Vergilius de Nisi coma erepta saepius egerat: totam enim fabulam exhibet eius „Ciris“:
v. 52 s.: „Hanc *pro purpureo* poenam scelerata *capillo*
. . . solvens . . .“;
180 ss.: „Nullus in ore rubor: ubi enim rubor *obstat amori*
Atque ubi nulla malis repperit solatia tantis
Tabidulamque videt labi per viscera mortem:
Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata.
Fertur et horribili praeceps impellitur oestro,
Ut *patris*, ah demens, *crinem de vertice sectum*
Furtimque arguto detonsum mitteret hosti: . . .“
271 ss. „Dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis —
Ille mea, ille idem oppugnat praecordia Minos.“
280 ss.: „*Aut ferro hoc* — aperit ferrum, quod veste latebat —
Purpureum patris dempsissem vertice crinem,
Aut mihi praesenti peperissem volnere letum.“ Cf. 382.
496 ss.: „*Oris honos primum et multis optata labella*
Et patulae frontis species concrescere in unum
Coepere et gracili mentum producere rostro.

Alithia.

Coniugis offensum tumido sermone tirannum
Persidis et Mediae species commovit Edissae:
In solio Vasti meruit captiva locari
Civibus intentam removens a principe plagam.

Pseustis.

Prata virent, silvae frondent, nunc omnia rident:
Huc Elicon Musas, huc, Protheu, mitte Napaeas;

Tum qua se medium capitis discrimen agebat,
Ecce repente velut patrios imitatus honores
Puniceam concussit apex in vertice cristam;
At mollis varios intexens pluma coloris
Marmoreum *volucri* vestivit *tegmine* corpus;..“

532 ss.: „.. *Infesti adposuit odium crudele parentis...*
... Quacumque ille *levem fugiens secat aethera pinnis,*
Ecce inimicus atrox *magno stridore per auras*
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa *levem fugiens raptim secat aethera pinnis.*“

Cf. „Georgc.“ I. 403—409; „Bucolic.“ VI. 74 s.; cf. et Statii „Tebaid.“ I. 333 s.

De **Esther** Hebraea exaltata cf. librum „Esther“ totum.

1, 10 ss. „Itaque die septimo, cum rex esset hilarior et post nimiam potationem incaluisset mero, praecepit .... septem eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, ut introducerent *reginam Vasthi* coram rege, posito super caput eius diademate, ut ostenderet cunctis populis et principibus pulchritudinem illius; erat enim pulchra valde. *Quae renuit et ad regis imperium, quod* per eunuchos mandaverat, *venire contempsit; unde iratus rex et nimio furore succensus* interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, ... cui sententiae Vasthi regina subiaceret, quae *Assueri regis* imperium .. facere noluisset. Responditque Mamuchan audiente rege atque principibus: »Non solum regem laesit regina Vasthi, sed et omnes populos et principes, qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri. .... Si tibi placet, egrediatur edictum a facie tua et scibatur iuxta legem *Persarum atque Medorum,* quam praeteriri illicitum est, *ut nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius altera, quae melior est illa, accipiat*«.“

2, 7: „.. qui (Mardochaeus) fuit nutritius filiae fratris sui *Edisae,* quae altero nomine vocabatur *Esther.*“

2, 16 s.: „Ducta est itaque (Esther — Edissa) ad cubiculum regis Assueris mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regis eius. Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, *et posuit diadema regni in capite eius fecitque eam regnare in loco Vasthi.*“

Vergilii „Bucolicon“ III. 56 s.:

„Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.“

Assint praecipue, si curant florida Tempe,
Quos in distichii serie complecteris, Enni.

Alithia.

Erroris causas finxit timor atque voluptas:
Singula si baratro sunt, numina singula caelo,

Lucretii „De rer. nat.“ V. 214:
„Cum iam per terras *frondent atque omnia florent* . . ;“
Vergilii „Bucolicon“ VII. 55: „*Omnia* nunc *rident* . . .;“
Venantii Fortunati „Carm.“ IX. 3. 10:
„Et redeunte sibi *gramine ridet ager*.“
Ennodi „Carm.“ I. 4, 13 s.:
„Ergo pari voto *lux caelum flumina Nereus*
Montes prata ferae gaudia concipiunt.“
Propertii „Eleg.“ IV. 4, 19—20:
„Me iuvat in prima coluisse *Helicona* iuventa
Musarumque choris inplicuisse manus.“

Cf. Vergilii „Aeneid.“ VII. 641; Ovidii „Fast.“ IV. 193 s.; „Metamorph.“ II. 219: „*Virgineus Helicon*“; V. 254; 663; Aldhelmi „De laudibus virg.“ 23 ss. contemnens earum auxilium:

„Non rogo *ruricolas* versus et commota *Musas*,
Non peto Castalidas metrorum cantica *Nymphas*,
Quas dicunt *Helicona iugum* servare supernum; . .“

Praeter propositam materiem exhibebo locum simillimum Theocriti „Εἰδυλλίων“ VIII. 41—43; 49—52:

Δάφνις.

„Παντᾷ ἔαρ, παντᾷ δὲ νομαί, παντᾷ δὲ γάλακτος
Οὔθατα πλήθουσιν, καὶ τὰ νέα τρέφεται,
Ἔνθα καλὰ Ναῒς ἐπινίσσεται, αἰ δ' ἂν ἀφέρπῃ,
Χὠ τὰς βῶς βόσκων χαἰ βόες αὐότεραι.

Μενάλκας.

Ὦ τράγε, τῶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ, ὦ βάθος ὕλας
Μύριον, ὦ σιμαὶ δεῦτε ποτ' ἄντρ' ἔριφοι.
Ἐν τήνοις γὰρ τῆνος· ἴθ' „ὦ καλὲ“ καὶ λέγε „Μίλων,
Ὡς Πρωτεὺς φώκας, καὶ θεὸς ὤν, ἔνεμεν.“

Ovidii „Am.“ I, 1, 15: „*Heliconia Tempe*“; „Metamorph.“ I. 568 ss.; Verg. „Georgc.“ II. 469: „. . *frigida Tempe*“; ibid. IV. 535.

Enni locum duodecim deos referentem deprompsisse videtur Theodulus ex Martiani Capellae I. § 42: „. . . collegae Jovis, qui bisseni cum eodem Tonante numerantur, *quosque distichon complectitur Ennianum*:

›Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo‹. . .“;

Vergilii „Georgicon“ IV. 432 ss.:
„Ipse (= Proteus), *velut stabuli custos* in montibus olim,
Vesper, ubi e pastu vitulos ad tecta reducit

Si sua mundus habet, si pontus, quid modo restet?
Ni quot membra tenes, tot confiteare penates?

Pseustis.

Sponte sua tauri cupiunt ad tecta reverti;
Vesper oves cithiso, capras depellit ab ulmo;
Ni matura redis, lupus insidiabitur agnis.
Cede, dies, caelo, quia nescit cedere virgo.

Alithia.

Si vos terret, oves, lupus ad caulas redeuntes,
Cornibus elatis illum, mea cura, petatis,
Quem sine fraude pius paschalis vicerat agnus.
Fige, dies, cursum, ne perdat virgo triumphum.

Auditisque lupos acuunt balatibus agni,
Considit scopulo medius numerumque recenset.“
Cf. „Bucol.“ II. 66, VI. 39; „Georgic.“ IV. 185 ss.:
„. . . rursus easdem (— apes)
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt; . . .“
„Bucol.“ V. 60:
„*Nec lupus insidias pecori* nec retia cervi
Ulla dolum *meditantur;* . . .“
Georgic. III. 536 ss.:
„Non *lupus insidias explorat ovilia circum*
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat; . . .“
Venantii Fortunati „Carm.“ III. 13, 25:
„Et licet *incluso lupus insidietur ovili;* . . .“
Vergilii „Aeneidos“ X. 215:
„Jamque *dies caelo concesserat* . . .“: cf. eiusdem carminis IX. 59 ss.:
„*Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili*
Cum fremit *ad caulas* ventos perpessus et imbris
Nocte super media; — *tuti sub matribus agni*
Balatum exercent; . . .“
Ermoldi Nigellii „in hon. Hludovici“ II. 599; Prudentii „Hamartigen“. 223: „ . . . *plenas nocte lupus studuit perrumpere caulas.*“
Verg. „Bucolic.“ III. 87: „ . . . *Jam cornu petat*“; cf. „Aeneidos“ IX. 629.
Verg. „Bucolicon“ I. 57: „ . . . raucae, *tua cura*, palumbes . . .;“ ibid. X. 22: „ . . *tua cura* Lycoris“. . .;
Dracontii „Laud. Dei“ II. 492 ss.:
„ . . . . .: *pietas* tamen alma Parentis
Indulgere volens cito quam punire parata,
Misit ab arce *pium* coeli per sidera *Christum,*
Qui virtute sua *serpentis frangeret artes*
Per vexilla crucis hostis populando cohortes . . .;“

Pseustis.

Triste mari vectis Helenae respectus in astris,
Frugibus aerugo, serpentum sibilus agro;
Hortos talpa fodit, digitos urtica perurit:
Omnia quis divum voluit confligere tantum?

Sedulii „Carm. pasch.“ I. 120: „... *pius* .. *agnus*;“ ibid. V. 68: „Aut truculenta *pio lupus* oscula porrigit *agno*.“

Ermoldi Nigellii „In hon. Hludovici“ II. 351 s.:
„Tum *pius* indoluit genitor *verbumque salutis*
Transmisit mundo, ut nos *pius erueret,*“

Walahfridi Strabi „Carm.“ LXXVI. v. 73:
„Ipse *pius salvator* ait...“

Vergilii „Bucolic.“ III. 80 s.:
„***Triste*** *lupus stabulis,* maturis *frugibus* imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.“

Cuius exemplar fuisse videtur Theocriti „Εἰδυλλίων“ VIII. 57 ss.:
„Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν, ὕδασι δ' αὐχμός,
Ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ, ἀγροτέροις δὲ λίνα,
Ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἀπαλᾶς πόθος. Ὦ πάτερ ὦ Ζεῦ,
Οὐ μόνος ἠράσθην· καὶ τὺ γυναικοφίλας!“

„Triste“: cf. Vergilii „Aeneidos“ XI. 259 s.: „.. *triste* Minervae *sidus.*“ Ovidii „Heroid.“ XVII. 143: „freta *tristia;*“ „Metamorph.“ XI. 427: „... ponti *tristis* imago.“

Horatii „Epod.“ 10, 10: „*tristis Orion*“; cf. 15, 7:
„.. *Dum pecori lupus et nautis infestus Orion*
Turbaret hibernum mare.“

Juvenalis „Satur.“ VI. 569 s.:
„Haec tamen ignorat, quid *sidus triste* minetur
Saturni, quo laeta Venus se proferat astro“; ....

Sidus **Helenae** nuncupatum etiam pericula portendisse docemur Statii „Silv.“ III. 2, 10 ss.:
„... Oebalii fratres; vobis *pontus*que polusque
Luceat; *Iliacae longe nimbosa sororis* (= Helenae)
Astra fugate, precor, totoque excludite coelo.“

Cf. „Thebaid.“ VII. 791 ss.:
„*Non aliter* caeco nocturni turbine Cori
Scit peritura ratis, cum iam damnata sororis (= Helenae)
Igne Therapnaei fugerunt carbasa fratres.“

Dr. Alb. Gockel, „Das Gewitter“ S. 77: „Wie in jeder ungewöhnlichen Naturerscheinung sah man im Altertume auch im ***Elmsfeuer*** ein Zeichen, das die Götter den Menschen sandten. *Ein vereinzeltes Elmsfeuer galt unter dem Namen „Stern der Helena“* als ein *ungünstiges Vorzeichen, mehrere dagegen, nach den Dioskuren Kastor und Pollux benannt, als ein günstiges.*“ Cf. Dr. Gruppe, „Griech. Mythologie ...“, t. II. p. 857 n. 1:

„Der sturmbeschwichtigende Charakter der Dioskuren und ihrer Sterne wird oft hervorgehoben ...; wenn letztere bisweilen *als den*

Alithia.

Dulce viro mulier, pratis arentibus imber,
Mandragorae sterili, fons agricolae sitienti:
Praecellit cunctis, animae velamina carnis
Exuerint postquam, placari iudicis iram.

Pseustis.

Quaenam caelicolas avertit dira voluptas?
Zodiaci numquid loca maximus ordo reliquit?
Aut stertunt omnes aut tractant pocula Lethes.
Cede, dies, caelo, quia nescit cedere virgo.

Schiffern gefährlich bezeichnet werden, ... so ist dies wohl nur Verwechselung mit der einfachen Flamme, in der man im Altertum Helena zu erkennen glaubte und die noch heute in Griechenland unter dem Namen τελώνια für verderblich gehalten wird." Cf. Schmidt, ‚Volksgl. d. Neugr." p. 174.

Vergilii „Bucolicon" III. 82 ss.:
„*Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,*
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas."
Cuius animo Theocriti „Εἰδυλλίων" VIII. 76 ss. obversatum esse videtur:
„Ἀδεῖ' ἁ φωνὰ τᾶς πόρτιος, ἁδὺ τὸ πνεῦμα·
[Ἁδὺ δὲ χὠ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χἀ βῶς.]
Ἁδὺ δὲ τῶ θέρεος παρ' ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτεῖν."

Walahfridi Strabi „Carm." XVIII. 5 ss. („P. L." II. p. 363):
„*Ut requies lasso, sitienti ut dulcis aquae fons,*
Lac maternum agnis, pluvia ut squalentibus arvis,
Carcere constrictis ut lucis vena diurnae:
Sic optata ..";

Mandragorae esu putabant antiqui venerem excitari; qua re Veneri et Dianae Ilithyiae sacra erat. Cf. Gruppe „Griech. Myth." II. p. 852 cum nota 6; ibid. 1292, n. 1;

Aratoris „De actib. apost." II. 98: „.. *carnis vestitus amictu.*" Ennodi „Carm." I. 14, 9: „*In veste carnis abditus* ..;" Sedulii „Carm. pasch." IV. 97: „.. *velamine carnis opertum.*"

De signis **Zodiaci** fusius tractat Gruppe, „Griech. Myth." II. 941 ss.; Cf. Alcuini „Carm." LXXIV. 5—12; e quibus 7: „Signaque Zodiaci distinguere partibus alti."

Horat. „Epod." 14, 1–4:
„Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,
Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
Ardente fauce *traxerim*" .."

Alithia.

Obtutu vigili curat fastigia caeli,
Quicquid nutrit humus, quicquid producit abissus,
Nec somnum novit, qui verbo cuncta creavit.
Fige, dies, cursum, ne perdat virgo triumphum.

Pseustis.

Dic mihi: dum tristes adiit Proserpina sedes
Lege data matri, si vellet nata reverti,
Gustum perfidiae quis primum prodidit ore?
Dic et Troianum lauderis scire secretum.

Ovidii „Metam.“ VII. 152 ss.
„Hunc (— draconem) postquam sparsit *Lethaei gramine suci*
Verbaque ter dixit placidos facientia *somnos* . . ;“
cf. eiusdem „Art. am.“ III. 340; „Trist.“ I. 8, 36; „Ex Ponto“ II. 4, 23:
„. . *si biberes securae pocula Lethes.*“

Ermoldi Nigellii „In honor. Hludovici“ IV. 33 s. („P. L.“ II. p. 59):
„*Est deus in caelo, mundi plasmator et omnis,*
Quicquid rura tenent, quae mare quaeque polus.“
Pseudo-Cypriani „De resurrectione mortuorum“ 84:
„. . *tenens* . . . *fastigia caeli.*“
Prudentii „Contra Symmachum“ I. 297 s.:
„*Quidquid humus, quidquid pelagus mirabile gignunt,*
Id duxere deos . . .;“
cf. Sedulii „Carm. pasch.“ praef. 11—12 et I. 60; ignoti poetae „Vitae S. Galli“ („P. L.“ II. 459) v. 1198 s.:
„. . Non sibi diffidens *Christi* munimen adesse,
De nichilo qui cuncta creat, regit atque gubernat.“

Vergilii „Bucolicon“ III. 104 ss.:
Dameotas:
„*Dic, quibus in terris* — et eris mihi magnus Apollo —
Tris pateat coeli spatium non amplius ulnas.“
Menalcas:
„*Dic quibus in terris* inscripti nomina regum
Nascantur flores *et Phyllida solus habeto.*“

De **Proserpina** a Plutone rapta et pro anni parte reddita canunt ubique vates. Imprimis Ovidius, „Metamorph.“ V. 341—571; „Fastorum“ IV. 411—620; Claudianus, „De raptu Proserpinae“.

Ovidii „Metam.“ V. 529 ss.:
„. . Sed tanta cupido
Si tibi discidii est, *repetet Proserpina caelum,*
Lege tamen certa, si nullos contigit illic
Ore cibos: . . .“;
quod a Proserpina fuisse iam commissum prodidit Ascalaphus: cf. ibidem 533—550.

Alithia.

Cum pelagus mundo, subsidat mundus olimpo,
In medio semper consistat pendulus aër,
Dic: ubi terra levem caeli supereminet axem?
Et te posse Dei tetragrammaton annuo fari.

Pseustis.

Ista suis hodie si praevalet artibus in me,
Dum cessit Mopso, Calcantis more dolebo,
Fraude puellari sed non patiar superari:
Millesies repetam, nisi subtrahat Hesperus horam.

„**Troianum secretum scire**“ proverbii causa dictum esse videtur, quemadmodum apud nos „Ei des Kolumbus“ aut „Das Pulver erfinden“. Cf. Ciceronis „or. pro L. Murena“ XXXVII. 78: „. . *Intus, intus,* inquam, *est equus Troianus*“. *Cf. Propertii „Eleg.“ IV. 8,* 41 s.; Martiani Capellae II. § 114: „. . *instar secreti Troiani*“; sc. Palladii Troiani.

„Dei tetragrammaton“: יְהוָֹה (= **Jehovah**) aut, ut recentiores assueverunt interpungere: יַהְוֶה (= **Jahveh**).

De Calchantis dolore invidioso cf. Strabonis „Geographicon“ XIV. 27: „Εἶτα τὸ Γάλλησιον ὄρος καὶ ἡ Κολοφῶν καὶ τὸ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν παλαιόν. Λέγεται δὲ Κάλχας ὁ μάντις μετ' Ἀμφιλόχου τοῦ Ἀμφιαράου κατὰ τὴν ἐκ Τροίας ἐπάνοδον πεζῇ δεῦρο ἀφικέσθαι, περιτυχὼν δ' ἑαυτοῦ κρείττονι μάντει κατὰ τὴν Κλάρου, Μόψῳ τῷ Μαντοῦς τῆς Τειρεσίου θυγατρός, διὰ λύπην ἀποθανεῖν. Ἡσίοδος μὲν οὖν οὕτω πως διασκευάζει τὸν μῦθον· προτεῖναι γάρ τι τοιοῦτο τῷ Μόψῳ τὸν Κάλχαντα·

»Θαῦμά μ' ἔχει κατὰ θυμόν, ἐρινεὸς ὅσους ὀλυνθους
Οὗτος ἔχει, μικρός περ ἐών· εἴποις ἂν ἀριθμόν;«

Τὸν δ' ἀποκρίνασθαι·

»Μύριοί εἰσιν ἀριθμόν, ἀτὰρ μέτρον γε μέδιμνος·
Εἷς δὲ περισσεύει, τὸν ἐπενθέμεν οὔ κε δύναιο.«
Ὣς φάτο· καί σφιν ἀριθμός ἐτήτυμος, εἴδετο μέτρου.
Καὶ τότε δὴ Κάλχανθ' ὕπνος θανάτοιο κάλυψε.

Φερεκύδης δέ φησιν ὗν προβαλεῖν ἔγκυον τὸν Κάλχαντα, πόσους ἔχει χοίρους, τὸν δ' εἰπεῖν, ὅτι τρεῖς, ὧν ἕνα θῆλυν· ἀληθεύσαντος δ', ἀποθανεῖν ὑπὸ λύπης. Οἱ δὲ τὸν Κάλχαντα προβαλεῖν τὴν ὗν φασι, τὸν δὲ ἐρινεόν, καὶ τὸν μὲν εἰπεῖν ἀληθές, τὸν δὲ μή, ἀποθανεῖν δὲ ὑπὸ λύπης καὶ κατά τι λόγιον. Λέγει δ' αὐτὸ Σοφοκλῆς ἐν Ἑλένης ἀπαιτήσει, ὡς εἱμαρμένον εἴη ἀποθανεῖν, ὅταν κρείττονι ἑαυτοῦ μάντει περιτύχῃ· οὗτος δὲ καὶ εἰς Κιλικίαν μεταφέρει τὴν ἔριν καὶ τὸν θάνατον τοῦ Κάλχαντος. Τὰ μὲν παλαιὰ τοιαῦτα.«

Cf. Martiani Capellae II. 159: „*Ex hac divinandi possibilitate* Amphiaraus *Mopsusque celebrati.*“

Unde Theodulus fabulam deprompserit, utrum ex Strabone an ex Hesiodo an ex Sophocle, ex huius carminis verbis non liquet.

Alithia.

Nunc utinam Tales, falsorum fictor, adesses!
Quattuor imprimis evangelicae rationis
Nitar codicibus, nostrum de virgine corpus
Ut Deus accepit, nec me labor iste gravabit.

Pseustis.

Egregiam sobolem cui — per Stilbontis amorem —
Vi superum magna sociasti teste Capella —
Obsecro te, Fronesi, — iubeas reticere sorori:
Quo tendit, cedo nec me cessisse negabo.

Thalem Milesium, unum ex septem sapientibus, increpat Alithia apostrophes figura usa tanquam auctorem ethnicae philosophiae.

Prudentii „Apotheoseos“ 435 ss.:
„*Ex quo mortalem praestrinxit spiritus alvum,*
Spiritus ille Dei, Deus et se corpore matris
Induit atque hominem de virginitate creavit.“

S. Prosperi Aquitani „De ingratis 891 s.:
„*Verbum homo fit rerumque sator sua conditione*
Servilis formae dignatur virgine nasci.“

Aratoris „De actibus apostolorum“ II. 194 s.:
„Discite iam *verum, sacra de virgine natum*
In terris celebrare *Deum;* . . .“

Sidonii „Apollinaris“ XVI (Enchiridion) v. 40 de Christo: „ . . . *nascens ex virgine semine nullo.*“

Dracontii „Satisfact.“ 181: „*natus de virgine Christus.*“

Vergilii „Aeneidos“ II. 708: *nec me labor iste gravabit.*“ Cf. „Anthol. Lat.“ I. 172, 21.

Stilbontis nomine insignitur Mercurius imprimis partibus stellae illius errantis fungens: cf. Martiani Capellae I. § 25; cf. VIII. 851 et 879 s.; Cic. „De nat. deor.“ II. 53:
„Infra hanc (stellam Martis) stella Mercurii est; ea στίλβων appellatur a Graecis.“

De **Mercurii** et **Philologiae** (M. Cap. I. 22, saepius), filiae doctissimae Phroneseos (M. Cap. II. § 114; II. § 217, IX. 893) nuptiis tractavit Martianus Capella in opere illo encyclio de septem artibus liberalibus: I. 5 ss. Medio aevo Martianum Capellam in usu scholarum vulgatum constat fuisse: cf. Teuffel-Schwabe II. p. 1159, § 452.

Similem verborum traiectionem exhibet Vergilius, „Aeneidos“ IV. 314 ss.

Quomodo in hoc carmine Phronesis litem Alithiae et Pseustis, sic in tertia ecloga Vergiliana Palaemon certamen Damoetae et Menalcae arbitrio suo dirimit atque componit: v. 108—111.

Fronesis.

Mortales cuncti quod contendunt adipisci
Nec, si perficiant, vitae discrimina curant,
Ex insperato Dominus tibi contulit ultro:
Ut cessare velis, devictus supplicat hostis.
Treïcius vates commovit pectine Manes,
Te moveant lacrimae; iam tollit cornua Phoebe;
Sol petit Oceanum, frigus succedit opacum:
Desine, quod restat, ne desperatio laedat.

= o =

[Tunc Alithia Deo reddens pia carmina plectro
Hoste suo victo coepit modulare benigno:

Vergilii „Aeneidos" VI. 119 s.:

„*Si potuit Manis arcessere coniugis Orpheus*
Threïcia fretus cithara fidibusque canoris, . . .";

Cf. „Bucol." IV. 55; Propert. „Eleg." IV. 1, 42; Ovidii „Amor." II. 11, 32; „Metamorph." XI. 2 ss.; XV. 30 s.; „Ex Ponto" II. 9, 51 ss.; Ennodi „Carm." I. 5, 2; Claudiani „Carm." X. 234; eiusd. „Ep." I. 33; Dracontii „Praef. ad Felicianum" 1 ss.:

„*Orpheum vatem* enarrant ut priorum litterae
Cantitasse dulce carmen voce nervo *pectine* . .";

Vergilii „Georgicon" III. 357 ss.:

„Tum *Sol* pallentis haud umquam discutit umbras,
Nec cum invectus equis altum *petit* aethera, *nec cum*
Praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum."

Cf. eiusd. „Georgic." II. 481 ss.; „Aeneid." I. 745 ss.; VII. 100 ss.; Horatii „Carm." IV. 5, 40;

Vergilii „Bucolic." IX. 66: „*Desine plura,* puer"; Paschasii Radberti „Eclog." 175: „*Desine plura* . .";

= o =

Quamvis nunc quoque non dubitem, quin versus 345—352 non ab ipso Theodulo ortum trahant, tamen oportet restringam, quae in prioris editionis p. 54 de eorum aetate scripsi: codex enim Pragensis 1625 s. **XII.** iam illos versus continet et quidem eadem manu scriptos, qua ceteros; sed cum ceteris fere versibus singulis glossae sint additae, hi octo iis carent; e quo apparet eos non saeculo XIII., id quod coniectaveram (cf. p. 8. n. 9.), sed **saltem iam saeculo XII.** esse additos et fortasse quidem a scriptore codicis Pragensis ipso compositos.

Addam similia exempla δοξολογιῶν:

Prudentii: „Psychomachiae" 1 ss.:

„Christe, graves hominum semper miserate labores,
Qui patria virtute cluis, propriaque sed una, . .";

»Alme Deus, triplex, ast omnipotens, pie, simplex,
Qui caelum, terras, mare, tartara rite gubernas
Quique regis cuncta propria virtute sub una,
Erige subiectos cunctos tibi, sterne superbos:
Cui sit laus semper, virtus, pax, gloria perpes,
Quem decet aeternum regnum sine fine per aevum.«]

Sedulii „Carm. Pasch.“ I. 29 ss.:
(Christe) . . . „cui convenit uni
Facturam servire suam, cui *iure perenni*
Arcibus aetheriis *una* est *cum patre potestas,*
Par splendor, communis apex, sociale cacumen.
Aequus honor, *virtus eadem, sine tempore regnum,*
Semper principium, sceptrum iuge, *gloria* consors,
Maiestas similis: . . .“

Dracontii „Laud. Dei“ I. 738 ss.:
„Qui reges et regna domat *sternitque potentes,*
Deiicit elatos et mergit ab arce superbos,
Atque oppressores *Deus* opprimit et *pius* ultor
Elevat elisos et consolatur adactos
Luctibus et damnis et vulnera saeva dolentes.“

Cf. II. 683 ss.; clarius adhuc II. 722:
„*Erigis oppressos humiles sternisque superbos.*“

Venantii Fortunati „Carm. Append.“ II. 1—12: e quibus:
„. . *Maiestas, persona triplex, substantia simplex,*
Aequalis consors atque coaeva sibi,
Virtus una manens idem, tribus una potestas, . .“;

Flori Lugdunensis „Carm.“ V. 276 s.:
„. . . . . Deus omnia fecit,
Caelum, tellurum, mare, Tartara, sidera, ventos.“

(Cf. Martiani Capellae I. 57: „Quae (Philologia) noctibus universis *coelum, freta tartarumque* discutere . . consuevit.“)

„Vita S. Galli“ v. 572 s.:
„*Elatos spernit, contempsit valde superbos,*
Respicit atque inopes, subiectos ditat egenos.“

Appendix.

a) Quibus huius libelli locis a prioris editionis (1902) verbis recesserim.

	Verba	
Versus	huius libelli:	prioris editionis:
2	Cancro	cancro
87	Juppiter	Mulciber
104	Arctos	arctos
204	Confectum	Confertum
205	Chonia[1])	Gnosia
254	obstruxit	ostruxit
299	paschalis	pachalis

b) Qui codices Theoduli inde ab anno 1902 supra 121 codices, quos in priore editione descripseram, ad notitiam meam pervenerint.

	Titulus ex loco petitus:	Quo saeculo codex scriptus esse videatur:	Notae chartarum et proprietates:
122.	Amplonianus[2]) [Erfordiensis]	XIII.	fol. 173b—189b. ‚Liber eglogarum Theoduli cum optima glosa'.
123.	Pragensis[3]) [bibl. univ.]	XII.	Nr. 1625; f. 10a—12b.
124.	Pragensis[3]) [bibl. univ.]	XIV.	Nr. 1611; cum comm.; f. 36a—49b.
125.	Pragensis[3]) [bibl. univ.]	XV.	Nr. 1614; cum comm.; f. 72a—119b.

[1]) „Chonia" pro „Chaonia"; simili modo breviata vocabula Graeca bis inveniuntur apud Theodulum: v. 213: ide = ἰδέα; 237: Salmon = Σαλμωνεύς.

[2]) Cf. W. Schum, „Beschreibung der amplonianischen Handschriftensammlung zu Erfurt", p. 652.

[3]) Manitius in ephem. „Kehrbachs Mitteilungen" .... 1906, p. 233. — Qui multorum vel obscurorum vel deperditorum codicum vestigia indagavit in catalogis bibliothecarum antiquarum apparentium.


c) Quae de ecloga Theoduli aut de editione huius auctoris ab anno 1902 usque ad annum 1907 scriptis mandata sint:

1. „Allgemeines Literaturblatt der Österreichischen Leo-Gesellschaft“, 1903 nr. 11 p. 340.
2. Dr. Jos. Frey: „Ueber das mittelalterliche Gedicht »Theoduli ecloga« und den Kommentar[1]) des Bernhardus Ultraiectensis“. Münster (Aschendorff) 1904.
3. Hans Vollmer[2]): „Theoduli Ecloga und die Catalogi des Otto Brunfels“; „Monatsschrift für die kirchliche Praxis“ [Tübingen und Leipzig (Mohr),] Aug. 1904, p. 321—333.
4. Hans Vollmer: „Nachträge zu Theoduli ecloga“. Ibidem Nov. 1904, p. 472—474.
5. Kehrbachs „Mitteilungen der Gesellschaft für deutsche Erziehungs- und Schulgeschichte“. Berlin, Hofmann, 1905, vol. I. p. 5.
6. Ibidem 1905 vol. IV. p. 312 ss.
7. Ibidem 1906 vol. III. p. 233 ss.

d) Summa opusculi:

[1]) Continetur in codice Londinensi Musei Britannici Ms. Burn. 251 s. XII. (p. 19 prioris editionis).


[2]) Hic vir illustrissimus sine ulla editionis meae notitia censuerat eclogam saeculo p. Chr. n. nono esse conscriptam, quod mihi ex causis internis et externis probatur.



Codex Oxoniensis F. 2. 14.

saec. XII.

Cod. ι edit. 1902, p. 15.



Cod. „Harley 3093" Musei Britannici.

s. XII. ineunt.

Cod. υ edit. 1902, p. 16.